EVGENII LAVANDA NINEVENSIS NOTÆ

ASTRVM IN-EXTINCTVM FR. ROMANI HAY

suis radijs interstinguentes.

Cum facultate Maiorum.

ANNO M. DC. XL.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO
CARDINALI BARBERINO,
S.R.E. VICECANCELLARIO,

EVGENIVS LAVANDA
NINEVENSIS.

F.

PARVVS hic liber vt creſcat, tuo nomini debetur, Eminentiſſime PRINCEPS: cætera ſuopte ingenio & argumento placiturus. Vindex eſt authoritatis Pontificiæ, vindex & nominis tui, quod velut ex Sacrario detractum, Frater quidam Romanus Hay impuro affixit loco. Is eſt Theologus, in Sueuia, ſed nec Romanè, nec Theologicè, nec vt religioſum decet, agens. Aſtrum inextinctum concinnauit, vocabulo ferale quid ac diuturnum, niſi eſſet, qui extingueret: Extinguere autem hactenus vix aliquis auſus eſt, quod tanto nominis ſplendore radiaret. Scilicet vt peſtis cœlo nata crederetur, Aſtri appellationem tulit, & naturam mentita, duobus Luminaribus magnis, Summo nimirum Pontifici, & Imperatoriæ Maieſtati ſe interiecit; quos ſi maligno aſpectu afflauiſſet, de ceteris minoribus orbis ſyderibus actum erat. Cæſari inprimis hunc eundem librum dedicauit, deinde mutato folio nomen Tuum præfixit, vt per Te ad Summum Pontificem patruum tuum graſſando penetraret. Putaſſes pauperem eſſe, qui de vna fidelia duos parietes dealbare voluiſſet; ſed verſutiæ fuit, idem vtrique virus, eodem velut adulationis poculo propinare. Et mirabantur plerią; tantis tenebris tanta lumina patrocinari, ſed exemplo detecta fraus eſt. Simile quippiam haud ſemel antea ten-

 tauit

tauit varius & venalis humuncio Gaſpar Scioppius, nullo tamen ſucceſſu; quòd, etſi Romanam authoritatem in ſuis ſchedijs præferret, ex inſcitia patuit impoſtura, quemadmodum in fabula ex ruditu, non Leo. Sed ne prorſus tenebrio crederetur, hîc quoq; auctoratus, opinor, Aſtrum inextinctum primus ipſe procudere cœpit: quod rude & cœcum, Fr. Romanus Hay in officina ſua Theologica nihilo melius elaborauit; vt tamen oculatum redderet, nomen Tuum temerè inſcripſit. Hinc in multorum oculos authoritatem impegit, qui ſpecie tantæ lucis, tantum non excœcati, veritatem ipſam dubiè aſpexerunt. Si quis enim aduerſus fuit, illicò prætendebatur, placuiſſe Eminentiſſimo Cardinali Frãciſco Barberino, placuiſſe Vrbi, quicquid totus contradiceret orbis. Ita ille magni nominis obiectu latebat, vt Athenis in templo poſt Palladis ſcutum veſpertilio. Sed enim haud multo poſt, in veſtigio patuit, Theologum obſcuri animi, hanc præoptaſſe lucem, vt incautos ſplendidè deciperet. Hoc propterè re tua facturum me exiſtimaui, Princeps Eminentiſſime, ſi refixum nomen Tuum, quod Fr. Romanus haud digno loco vſurpauit, hiſce meis notis præponerẽ, palamque toti orbi facerem, nec nominis Tui ſplendori cum adulterino illo & tenebricoſo aſtro, nec tantæ authoritati cum inſidioſis fallacijs conſtare poſſe. Agnoſces opinor, veſpertilionem crepuſculis duntaxat aſſuetum, ſynceros aduerſæ lucis radios haud ferre, ſed nictantibus oculis dubia ſemper ſectari, modò repentem, modò volitantem, vt qui adulando, nocendo, in vtramq; partem feratur, & nec mus ſit, nec auis. Porrò vt tantisper diſcerneres quid eſſet Fr. Romanus, placuit hoc Aſtrum non illico extinguere, ſed aptis quibuſdam & velut genuinis radijs, qui ad inſpiciendum ſat luminis præberent, interſtinguere, tua deinde authoritate penitus extinguendum. Vale Princeps Eminentiſſime & faue.

Aſtri

ASTRI INEXTINCTI nouis radijs interstincti

ARGVMENTVM.

SVperioribus annis ediderat Paulus Laymannus Iesuita *Volumen iustæ defensionis Romani Pontif. Vrbani VIII. Cæsaris Ferdinandi II. Cardinalium, Episcoporum, Principum, & aliorum, in causa Monasteriorum extinctorum, & bonorum Ecclesiasticorum, contra quosdam à seipsis delectos Iudices*: egitq; partes suas, vt Theologiæ Doctorem, & Decretalium professorem probatum, iurisq; sacri intemeratum decuit defensorem. Mouit doctrina viri grammaticum ardelionem Gasparem Scioppium, qui more suo an etiam offella auctoratus, euulgauit *Astrum inextinctum*, quod eidem est, *Causa dictio ex diuino humanoq; iure, pro Veterum ordinum honore ac patrimonijs, aduersus famosum Volumen* (sic enim vocat) *Pauli Laymanni Iesuitæ in monachos editum*. In quo opere euulgando ita versatus est, vt animo nihil videns, naso & pede streperet non modò gnauiter, sed etiam impudenter & mendaciter: videlicet Talis per omnia, qualem iam alibi non semel descriptum meminimus.

Non omninò placuit hominis inscitia siuè præmatura diligentia Fr. Romano Hay, in Sueuia Theologo. Idcirco is spongiam eidem ex parte inducens, & alia in alia mutans, eâdem pene retenta inscriptione, opus nouum excudit; vel potius idem recoxit, ita tamen, vt Scioppo ius expostulandi non solum reliquerit, sed insolito suo & ferali Astro, suæ causæ interitum obnunciarit. Id quod sequentes Notæ Deo volente declarabunt.

Non vrgebo, quòd aliqui putant dolo factum; prodijsse librum hunc illudendo Decretis Conciliorum Lateran. *sess. 10. & Tridentin. sess. 4.* absq; præuio nimirum examine & approbatione Ordinarij loci, vbi editus est. Nam quod imago operi præfixa Coloniam præferat, illa quidem pro se loquitur, non pro toto libro, etsi author veteratoriè indicare velit, cum reliquo opere, vno eodemq; loco prodijsse. Quod etiam totus liber prostare dicatur in officina Petri Henningij Bibliopolæ Coloniensis, larua puerorum est. Quod deniq; quorundam Doctorum Louaniensium calculum exhibeat, fucus est.

Accusabunt alij eundem imposturæ. Primùm quod Præfationem ad Lectorem homine Christiano indignam, approbasse Censores Louanienses minimè sibi persuadeant. Deinde quòd multa in toto libro passim inspergantur ex quodam Antimelandro, qui non prius, quàm in autumno anni 1633. Monachij à prelo publici iuris est factus: cùm tamen Astrum hoc inextinctum à Louaniensibus mense Nouembri eiusdem anni, signetur approbatum; vt credibile non sit, tam paucorum dierum interuallo, quo tempore omnia in Germania itinera bello Suecico infesta erant, Antimelandrum ad manus Fr. Romani deuenisse, nedum ipsum eius oppugnationem conscribere, & Louanium ad cognoscendum mittere potuisse, vt vel spatium horæ ad excutiendum totum librum Censoribus superfuisse concedamus.

Simile huic est, plura eundem in Antanatomiam Iesuitarum effundere, quæ tamen integro post anno, quàm Louanienses Astri inextincti Censores adhibiti dicuntur, prodiji Oenipontij; nempe sub finem anni 1634. Quæ omnia & id genus complura, etsi in grauem Louaniensium Doctorum iniuriam cedant, quorum nomini hæc fallacia fraudi est, nec non publicæ imposturæ argumentum: condonanda tamen ei videntur, qui si non mendacio, memoriâ fortasse, aut prudentia destituitur; alioqui Fr. Romanum contra mentem offendere solitum, satis declarat & *Censura* Astri à Laymanno Iesuita edita, & attestatio Principis illius qui Ratisponæ an. 1630. in Comitijs Electoralibus, mendacij compertum, elinguem reddidit coram Cancellario suo. Verùm ego lubricum mentis, an linguæ, ad pœnam haud facile traxerim hoc loco, neq; tamen alijs præscripserim, qui nomen Romani quidem, sed non Romani ciuis, nec Romanè agentis, inter Romana virga censitos numerari velint, eius verò Astrum iudicij flamma radiandum.

Alia sunt, à quibus quomodo eum beneficio legis liberem, haud video, nisi dum astrum scriberet, œstro percitum, aut maligno aliquo sydere fuisse afflatum existimem. Omnia verò ex vno fonte fluunt, qui est *Adulatio*. Nempe vt Cæsari placeat, Pontificiam authoritatem, & huius defensores premit: Vicissim vt huic fucum faciat, iurium sacrorum se obseruantissimum simulat, illos vtriusq; maiestatis reos arguit. Vetusto more, sed recenti arte, vt vtroq; foro se probet, quæ Dei Cæsarisque sunt, non discernens. Hinc illa, quæ passim in Astro cernitur Iurium confusio, Canonum & Sanctorum Patrum non minus falsificatio, quàm detorta & deprauata interpretatio. Qui enim alioqui muneri respondeat? qui partium iura tueatur?

Tota porrò *Astri* machina duobus cardinibus regitur. Alter est, vt Summum Pontificem, iuribus humanis superesse admittat: eidem verò apud Imperatorem neget potestatem disponendi circa *Vacantia*, siue *extincta monasteria*. Vt hinc consequatur, manifesta iniustitiâ teneri, qui per plura secula hanc Potestatem exercuerit, transferendo monasteria; quorum narratione plenæ sunt historiæ; nec pauci canones attestantur. Alter verò cardo est, vt vbiq; extollat Cæsaream authoritatem, collaudetq; Ferdinandi Secundi pietatem, qui Romam, & ad Episcopos Germaniæ scripserit, se, citra periurium & sacrilegium, haud posse vllum monasterium *Vacans, ad quantumuis pios Vsus* conuertere, quàm ad quos initio respexere Fundatores. Vnde etiam consequitur, pium Cæsarem, ob plures, ante, & post illas literas datas, annuente Summo Pontifice, translationes factas, aut quæ ab alijs procuratæ sunt, approbatas, cùm eiusmodi facti nunquam eum pœnituerit, periurum & sacrilegum è vita abijsse, adeoq; sepulturâ Christianâ indignum fuisse. Eandem verò præstandam Romano Pontifici culpam, quòd vel mandârit, vel conniuerit, si iura valeant, quis inficias eat? Nihil de læso nomine Electoris Bauari, aliorumq; principum & regum dicam, qui etiam similes translationes procurarunt. Ac tantum potest *Adulatio*, quæ vtrinq; dubio stratagemate velitatur.

Porrò quo ingenio Fr. Romanus Hay, in toto suo libro versetur, ex his, quæ in medium afferemus, perspicuum euadet. Non quidem omnia ponderantes, ne in singulis penè verbis virulentiam notare cogeremur, (adeò nihil vacat animi quodam sontico morbo,) sed quæ inter legendum sponte se obtulerunt. Ea verò, lectoris otio consulentes, non in classes digerimus, sed ex serie paginarum enotamus, nulla alia censura adhibita, vt ex præiudicio liberum cuiq; sit, quo nomine & iure singula pendere velit.

Initio

Initio Libri.

POst Epistolam ad Antiquos ordines, præmittit sententias, (vt ipse ait) quorundam Sanctorum Patrum, aliorumque, pro antiquarum Fundationum conseruatione.

S. Leo Papa.

P*Riuilegia Ecclesiarum & Monasteriorum Sanctorum patrum autheritate instituta, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. c. Priuilegia. 25. quæst, 2.*

Ita Fr. Romanus. At epistola Leonis non habet, particulam *Monasteriorum*, quam apposuit *Collector*. Legendum verò, vt ibidem habetur in notationibus, & præterea inf. *eod. Priuilegia. c. 22.* Priuilegia *Ecclesiarum, Sanctorum Patrum authoritate, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretu* &c. Est autem sermo, vt hic notat Glos. de priuilegijs, non pecularium locorum, sed quæ sunt de *generali Ecclesiæ statu*, vel *de articulis fidei*. Quæ quidem non possunt, vel nulla possunt, id est, *non debent*, vlla improbitate conuelli, aut nouitate mutari. Verùm quid hoc ad rem? quando in præsenti causa nulla interuenit improbitas, nec fit in gratiam vnius *fratris*, quod in ea epistola excipit Leo, sed *in communem vniuersæ domus Domini vtilitatem*. Mitto plures in eodem Canone mutationes, ne se cum collectore excuset Fr. Romanus, nouus Gratianus: putabat nempe, *Idem ius Attio, quod Titio.*

Pelagius Papa.

P*Ontifex non habet liberam licentiam discedendi à documentis, quibus iura firmantur c. Posteaquam 25. q. 2.*

Ita Fr. Romanus. Aliter Pelagius. Sed nihil moror, admitto Rubricam. non tamen, vt *Glos. De Pœnit. Hist. 1. Hac autem verba*. Ceterum Fr. Romanus sicut in superiore Canone mutuatus est particulam *Monasteriorum* ex Gratiano, ita hic poterat amplecti eiusdem responsionem. *Sac. Rom. Ecclesia vel pietatis, vel necessitatis intuitu, semel à se concessa, valet, vel in totum, vel in parte commutare.* Ita Gratianus. Sed Fr. Romanus, ne nihil agat, negabit vllam hic intercedere pietatem aut necessitatem. Scilicet.

Concilium Chalcedonense.

Q*Væ semel dedicata sunt Monasteria cum consilio Episcoporum, perpetuò debent manere Monasteria. Quæ semel. 19. q. 3.*

At loquitur Concilium de perpetuitate, quatenùs non debent conuerti in secularium habitacula. Et debuisset Fr. Romanus, non præterire *Glos. in cap. Statuimus*, paulo ante à se citatum. Nimirum posse fieri secularem Ecclesiam ex Monasterijs, vel illis clericos seculares præfici, *si Monachi enormiter viuant. Extra. Ne Cler. vel Monach, Relatum 2.* Quanto magis possunt transferri ad alios Regulares. *Argument, Extr. De relig. domib. Inter quatuor. Abb. ibid.*

Cle-

Clemens Papa V.

EA quæ ad certum vsum largitione fidelium sunt destinata, ad illum debent, non ad alium conuerti. Clement. Quia contingit. De relig. dom.

Ita Fr. Romanus. Verùm omittit, quòd per parenthesim interponitur, (*salua Sedis Apostolicæ authoritate*). Adde quod Pontifex tantum nolit in vsum occupatorum, & vsurpatorum, *damnabiliter conuerti*. Quod Fr. Romanus callidè dissimulat, ne obijciatur, In vsum Collegiorum & Seminariorum authoritate Apostolica, non *damnabiliter*, sed *salutariter* conuerti.

Concordata Germaniæ inter Nicolaum V. & Nationem German.

DE his infra in loco. Hic sufficiat, Fr. Romanum more suo non pauca aliter legere, plura, quæ rei suæ officiunt, prætermittere, ne Pontificię authoritati prę̨ter votum plus aliquanto cogatur tribuere.

Carolus Magnus Imperator.

NOuimus multa Regna & Reges eorum, propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliarunt, resq; earum alienauerunt, & militibus loco stipendij dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterũt. Capitul. lib. 7.

Ita Fr. Romanus. Sed ei cognatum est semper vel corruptè, vel non ad rem allegare. Agitur de transferendis, vel applicandis Monasterijs, vel extinctis, vel vacantibus, ad vsus pios, ob maius bonum, vrgente vtilitate & necessitate. Hoc ipsi spoliare est Ecclesias, res earum alienare, & militibus loco stipendij dare. Vbi lumen intelligentiæ, quod ipse in opponente extinctum alicubi immerito exclamat? quì non intelligit, differentium rerum non idem esse iudicium *c. Nuptiarum 27. q. 1. L. Si maritus C. De don. inter. vir. & vxor.*

Mitto libros illos Capitulorum non esse Caroli Magni, sed Hæretici alicuius insulsi, barbari, mendacis, indocti, impij, quem idcirco & Hadrianus Papa misso ad Carolum Magnum libro confutauit, & doctissimi quique Catholici semper reiecerunt; vt turpe sit Theologo vel hoc ignorasse, vel si non ignorauit, ex eo proficere velle, eaque de causa se suspectum reddere. Verùm quid faciat, qui ratione destitutus, ex hodierna politica, perinde habet, vndecunque accersitis armis in Catholicum opponentem depugnare?

Theodosius & Valentin. Impp.

PErindignum est fortuitas ob causas, vel casus humanos, nepotes aut neptes, pronepotes aut proneptes, auita vel proauita successione fraudari, aliosq; aduersus auitum & proauitum desiderium, vel institutum, insperato Legati commodo, vel hereditate gaudere. L. per hanc iubemus C. De his quæ ante apert. tab.

Ita

Ita Fr. Romanus. Verùm de more, aut corruptè aut non ad rem; Quæ enim conuenientia iuris vel rationis, inter successores sanguinis, & subrogatos, vel quocunque modo substitutos Religiosorum eiusdem, vel alterius Monasterij, vel Ordinis, in priorum locum? Nisi iam velit Fr. Romanus dari & inter istos neptes & proneptes, quod sine coniugibus & generatione fieri non potest. Vbi nam gentium sumus? Extirpandum omnino, quod ratione caret *c. Cor Episcopi, Dist.* 48.

Discat porro Fr. Romanus Imperatores lege citata loqui de successione; per successores autem intelligi descendentes, & qui sunt successores sanguinis *L. cùm acutissimi ff. de fideicom. L. Ex facto. §. Vlt. ff. ad Trebell.* vbi DD. communiter, *Sozin. sen: consf. 2. n. 1. & cons. 249. n. 12. Vol 2. Et Iun. con 158. n. 10. Bald. consf. 266. & 267. Vol. 1.* Et omnes intelliguntur ordine successiuo substituti, vt com. DD. *in L. Gallus §. Quidam recte. ff. De Lib. & posth.* At quis vnquam vidit in bonis Ecclesiasticis & Monasteriorum, id genus successionum, vel si verum sit, quòd narrat *Alb. Cranzius in Metrop. lib 6. cap. 49.*

Nicolaus Tedeschus S.R.E. Card. Archiepisc. & Abbas Panormitanus.

AVt Collegium fuit destructum authoritate Superioris, & ipso facto extinguuntur omnia iura & priuilegia Collegij: aut decesserunt hi omnes de Collegio, vel expulsi fuerunt, & tunc in Collegio Ecclesiastico conseruantur omnia iura Collegij apud ipsam Ecclesiam. In c. Gratum. De Elect. n. 12. Et in c. Inter quatuor. De relig. dom.

Ita Fr. Romanns. More solito, aut corruptè, aut non ad rem. Ita verò intentus ad temerè corradendum, vt etiam *Tituli* obliuisceretur. Neq; enim *cap. Gratum*, eo tit. *de Electione*, Sed, *De postulat. Prælat.* continetur. In eo tamen capite, Panormitanus post illa verba, *Vel expulsi fuerunt*, addit, *propter eorum delictum*, quæ callidè prætermisit Fr. Romanus, vt ab Hæreticis tantùm, & occasione bellorum, causáue religionis & fidei Catholicæ pulsos credat Lector: Aut certè non concedit, propter delicta à Romano Pontifice expelli posse, fortasse, quia id est contra mentem scilicet fundatorum.

Sed enim lepidum est, quòd sententiæ Panormitani, ijsdem plane characteribus, sua verba subiungit vno contextu Fr. Romanus, vt ab incautis, Panormitani esse credantur. *Vnde*, inquit, *in defectum Regularium eiusdem Monasterij oportet locum de Regularibus aliorum Monasteriorum eiusdem ordinis reformari.* Scilicet id voluit Panormitanus, vel si propter delictum ponantur expulsi, quasi aliter fieri non debeat: quis credat? Certe Canon indistinctè loquitur *de Regularibus*, nec comparando inter se Regulares eiusdem, vel diuersi ordinis, sed absolutè Regulares cum secularibus; Et in *Extr. Relatum. Ne Cleri. Vel Monach.* nulla seruata gradatione, possunt præfici Monasterijs Clerici Seculares, *si Monachi enormiter viuant.*

Admitto nihilominus doctrinam Panormitani de seruandis certis gradibus fundatam tùm in hoc cap. *Inter quatuor. De relig. dom.* tùm *in Extra. Cum nobis. De Stat. Monach.* Sed aio, eam intelligi *de reformatione*, non quando agitur de translatione, vel applicatione ad alios vsus, iuxta supra dicta, cum authoritate Superioris, de qua etiam loquuntur prædicti Canones. Alioqui in præsenti casu cessat omnis actio, *Argum. Cum ex iniuncto. De nou. oper. nunciat.* Et instar extinctæ nô reuiuiscit, *De consecrat, dist. 4. Quaris.*

Idem Panormitanus.

E*Is mortuis alij in eorum locum substituendi sunt.* Et superior, ad quem *deuolutio facta, tenetur eligere homines illius qualitatis, sicut tenebantur Electores. In c. cum ex iniuncto. De nou. op. nunciat.* Et *in c. Ne pro defectu. De Elect.*

Ita Fr. Romanus, more solito, non ad rem. Priori loco loquitur Panormitanus de Ecclesia, seu Ciuitate destructa à Tyranno, vel ab hostibus. In quo euentu manent omnia priuilegia, & Clerici possent se appellare Canonicos, & eis mortuis, alij in eorum locum substitui. *22. dist. In nomine Domini.* Et *7. q. 1. Pastoralis.* Neque tamen dicit Panormit. substituendos esse ex eadem Ecclesia, cum ponat omnes mortuos.

In posteriori loquitur de deuolutione facta ad Superiorem Papâ inferiorem, in casu negligentiæ, nec de substitutione Clericorum, sed de electione Prælati, & ex gremio eiusdem Ecclesiæ, si sit idoneus, quod etiam tenebantur facere primi Electores *c. nullus dist. 61.* Et. *Quam sit* 18 *q. 2.* Verum quid hoc ad propositum? Ita probauerit Fr. Rom. cum Rupell. in Obse. Omnia animalia fuisse in Arca Noë: quia in medio, & in circuitu sedis in Apocal. Ioan. erant animalia quatuor. *c. Scriptum est. De Elect.*

Sed iam hæc sufficiant circa sententias Patrum, & aliorum, pro antiquarum fundationum conseruatione; de ceteris idem esto iudicium, à Fratre Romano scilicèt afferri aut corruptè, aut non ad rem.

Circa Præfationem ad Lectorem, benè longam, plura erant figenda siue in animo, siue in dictis Fr. Romani, sed parcendum, ex *L. famosi ff. Ad L. Iul. Ma.* Proinde pauca quædam pro ingressu in reliquum operis, leui duntaxat manu signabimus. Integram enim Cornelius Forcheim Amanuensis noster pro genio sibi desumit exeutiendam.

In Præfatione ad Lectorem Pag. 6.

S*Acra Cæs. Maiestas declarauerat, Generales Ordinum Religiosorum & Abbates* &c. *propter sua siue suorum Ordinum occupata Monasteria, Cæsaris Supremi Iudicii officium, iure implorasse* &c. Similia habes 9. sequenti, *Sacra Cæs. Maiestas.*

Ita Fr. Romanus. Et nos quidem S. C. M. iuri nihil detractum volumus, eandemque post Summi Pontificis sacram authoritatem debitè veneramur. Sed interim Fr. Romani Hay nimiam adulationem castigamus. Cæsarem Catholicum & pium, absq; vlla moderatione, supremum se Iudicem velle dici & haberi, in rebus Ecclesiasticis, Fr. Romani intemperans dictum est. Non ignorant pij Imperatores, qualis maxime fuit Ferdinandus II. Ioannis 3. Summi Pontif. ad Iustinianum Imp. perscriptam sententiam. *L. Inter claras C. de Sum. Trin. & fid. Cath.* huiusq; vicissim ad eundem plenum pietatis responsum. *L. Nos reddentes C. eod.* Quæ si legisset Fr. Romanus condiscere poterat, Imperatorem, & honorem Apostolicæ Sedis reddentem, & cuncta eidem subijcientem; pluraq; id genus de Imperatoribus Germanis ex *Decret. Dist. 63.* intelligere.

Exemplo esse queat Fr. Romano *Antonius de Rosel. in tr. de Potest. Papa.* vbi nimium adulari visus in iactanda in temporalibus suprema Cæsaris authoritate, à solo

à solo Deo immediatè dependente, tandem lassatus, suam infantiam agnouit, & sententiam sanctis authoritatibus pugnantem damnauit, fassus se ridiculum & sannis obnoxium; Quid obsecro dicturus, si Fr. Romanum tam præfidenter, immo audacter, de suprema in Ecclesiasticis administratione verba fundentem audiuisset?

Pag. 8. §. Rursum.

DIxerat Opponens. *Per eiusmodi Ius Imperatori tributum Sedi Apostolicæ, & immunitati Ecclesiasticæ multum derogari, eò quòd causa ista suapte natura Ecclesiastica sit, neq; pertinens ad politica Tribunalia.*

Hoc dicto Fr. Romanus, clamat, impugnari Decretum S. C. M. eiusq; Conditores & Approbatores. Immo Christi Domini in terris Vicarium Pont. Max. & Senatum Apostolicum erroris argui, &c.

Ita Fr. Romanus. Verùm non didicit, Monere Imperatorem, non esse Edictum eiusdem impugnare, sed consulere, & exhortari ad id, quod fieri conuenit. *Arg. c. Cum nostris de conces. præb. iunct. Glos. fin. ibid. Felin. in c. 2. de Sponsal. col. 5. Nauar. de Poenit. dist. 5. n. 42.* Quod facere maxime incumbit Confessario, cuius est regere conscientiam, præsumenti, aut etiam certò scienti, consilium suum & monitionem pro iuribus seruandis profuturam, Vt in sim. *Adrian. in 4. De Confes. dub. 7. post 5. quæst. Nauar. in c. Si quis autem. De Poenit. dist. 7. n. 71.* Friuola est ergo, ne dicam imperita Fr. Romani in conquirendis argutiunculis verbositas.

Illud etiam planè puerile sophisma est. *Edictum Cæsareum mira iucunditate impleuit Pontificis animum, &c. Eadem libenter audita sunt in Consistorio, & meritis plausus dati &c.* Quid inde? Ergo Cæsar est supremus Iudex in causis Ecclesiasticis? O afflictam Dialecticam? Audi Fr. Romane. Placuit Edictum Cæsareum Summo Pontifici, quòd recuperata vel recuperanda Monasteria suis Ordinibus restituta vellet: Non displicuit, quod eodem annuente aliqua ad alios vsus pios applicare cogitaret. In vtroque Cæsar sategit pietatis, & in eo maioris, vnde maius bonum religioni Catholicæ prouenturum didicerat. Huic pietati benedictionem impertiuit Vrbanus VIII. Huic plausum dedere Patres purpurati, quod aduocatum ac defensorem Ecclesiæ ex munere & occasione fidelem se præstaret, non quod Supremus in rebus Ecclesiasticis Iudex esse præoptaret, neque id vnquam attentauit pius Imperator: quæ enim in hac contentione pietas? Nec quippiam simile Declarationes illæ in Edicto, quemadmodum tu somnias, contendebant; verum pij propositi argumenta vel confirmanda, vel ad exequendum, benedictionem & facultatem, vbi vsus ferret, requirebant.

Ceterum noueris Fr. Romane Vrbanum VIII. Iura non extra scrinium pectoris habere, Cap. licet de Constitut. in 6. & memorem esse Decretorum Alexandri II, Gregorij VII, Victoris III, Paschalis, Callisti Secundorum. Ita & hodie, maxime pij Cæsares meminerunt Constantini, Theodosij, Caroli & aliorum; nec dubito quin Ferdinandus II. semper ante oculos habuerit illud Ludouici Pij Carolo Magno geniti. *Sat mihi est coram Deo de temporalibus mihi creditis, non etiam de Spiritualibus rationem reddere.* In *Virg. Direct. pag. 32.* vt icc irco vilem hanc tuam adulationem facile contempserit.

Pag. 13. §. Præterea.

PRæterea dicunt *se meliorem inueniſſe modum ſeminaria Clericorum erigendi, quam Spiritus Sanctus in Concilio Tridentino dictauerit, & ſatius eſſe quod iam fiat deſcenſus quam aſcenſus in Eccleſia. Qua ratione ſentiunt ſtatus Eccleſiaſticos, illa per Spiritum Sanctum in eodem Concilio impoſita moleſtiſſima, & (vt inferre debet) minime neceſſaria contributione facile ſuperſedere potuiſſe: quippe cum huiuſmodi ſeminaria longe rectius hodie per Concilij Trid. neglectum, omniumq; iurium confuſionem erigantur.*

Ita Fr. Romanus. Ceterum Opponens; poſtquam Dei ope plures prouincias ad fidem Catholicam reductas, & adhuc plures reducendas dixiſſet, eaque de cauſa maximam fuiſſe, & adhuc eſſe Sacerdotum penuriam, affirmaſſet: addidit, huic neceſſitati nequaquam ſuccurri poſſe, niſi in pluribus Germaniæ locis, ſeminaria pro formandis bonis & doctis ſacerdotibus & Eccleſiarum Curatis inſtituerentur, idque non aliunde fieri poſſe, niſi ex recuperatis bonis Eccleſiaſticis magnum ſubſidium proueniret, præſertim cum Epiſcopi & Ordinarij (quod callide omittit Fr. Romanus) ob maximas, quas fecerunt belli impenſas, & ingens contractum æs alienum, non ſolùm ſubſidium nouum ſeminarijs ſcholarum afferre non poſſint, ſed aliqui etiam eorũ, quam hactenus alumnis ſuis præſtiterunt opem, reuocare cogantur. Ita fere Opponens *Pag. 26.*

Huic autem ſuæ conſiderationi plurimum adſtipulari ait Concil. Trid. quatenus clarè indicauit, magis poſt hæreſes introductas neceſſarium eſſe, vt ſeminarijs adoleſcentium, eorumque magiſtris prouideantur reditus, quàm vt monaſteria Regularium prouentibus augeantur. *Seſſ. 5. c. 1. de Reform. Et Seſſ.* 23. *c.* 18. *Seſſ.* 24. *c.* 13. *de Reform.* Eidem fauere & antiqua iura (tacet hæc Fr. Romanus) *in C. cum ex eo De Elect. in 6. Et c. Vlt. De Magiſtris.* vbi ad magiſtros alendos ſi proprij Eccleſiaſtici prouentus ipſis nõ ſufficiant, ab Eccleſiarum Prælatis & Capitulis procurandi decernuntur. Ita Opponens *Pag. 21.* Vtrumque locum Opponentis, pro ſuo aſſerto citat Fr. Rom. *in ſuo Aſtro. q. 2. Obiect. 2. & 5.* &c. *Et q. 4. n. 51. §. 11. Obiectio in fin.*

An obſecro candide Lector hinc colligas dixiſſe Opponentem, & ſuos, *meliorem ſe modum inueniſſe Clericorum ſeminaria erigendi, quàm Spiritus Sanctus in Concil. Trid. dictauerit?* an contra potiùs Fr. Romanum ſpiritu mendaci ſeductum, ſplendide mentitum eſſe, cum Opponens, tantum abeſt Concilio Tridentino contra dicat, vt nihil magis, quàm ſecundum Concilij eiuſdem, atq; etiam Canonum antiquiorum definitiones, ſuam fundet intentionem. Porrò ſi mendax in vno, præſumitur mendax in alijs, vt colligunt DD. *L. Cum de indebito ff. De Probat.* Et præterea repellitur in alio, vt *Specul. De Teſt. §. 1. n. Item quod aliqui*: Videris tu lector, quid præiudicij facias de toties in re graui mentiri ſolito, vt etiam ſequentia demonſtrabunt.

Pag. eadem 13. §. Porrò melius.
Et Pag. 15. §. Rem etiam eo deueniſſe.

PRiori loco. *Porrò multo melius eſſe dicunt, Caſtitatis duntaxat quàm Virginitatis*

tis votum in Monasterijs monialium posthac Deo offerri &c. Posteriori vero. *Rem eò deuenisse vt recens quædam Religio vocationi suæ satisfacere, seq; dilatare nequeat, nisi antiquis ordinibus iura & monasteria non modo circumscribantur, sed etiam adimantur.*

Ita Fr. Romanus. At nihil vspiam simile in locis ab eodem notatis, imo contrarium prorsùs, & vera doctrina, eximia cum pietate coniuncta traditur. Eam hic describere poteramus, nisi constaret præiudicium iam factum, Fr. Romano cũ veritate non constare. Vt posthac in responsione ad eius dicta, tertium quoque membrum assumere cogamur, *aut nimirum corruptè, aut non ad rem dicere, aut denique eum mentiri, & cum mendacio fœdus pepigisse.* Grauioribus non agemus; qui initio temperantiam recepimus. De hoc tamen argumento, quia alibi pluribus in eo volutatur Fr. Romanus, in loco, quæ videbuntur, afferemus.

His porrò, & id genus atrocioribus scatet tota illa Præfatio ad Lectorem, vt nisi hominem se, nedum Religiosum oblitus sit Fr. Romanus, immò prorsus omnem humanitatem exuerit, excusari non possit. Ex ijs quia non pauca in reliquo libri recoquit, atque etiam reuomit idem Fr. Romanus, in sequentibus ea moderatè attingemus, ne lectori nauseanti graues simus.

In Corpore Libri.
Pag. 45. Num. 35. §. His positis.

Dixerat Opponens, valde se dubitare, num sciat Aduersarius, quid sit Monasterium *extinctum* esse. Explicat autem hoc modo. Nimirum, Ecclesias tùm Seculares, tùm Regulares fundata iura & titulos habere: horum collationem, institutionem, & possessionem per Ecclesiasticos Prælatos fieri solere personis idoneis &c. Iis singulis mortuis, aut cadentibus, iura ac titulos vacare, & manere in dominio Ecclesiæ particularis, cuius tituli sunt, nec alio transferri posse, spectato Iure ordinario. Addit, *Volo dicere si Prælatus, Canonicus aut Monachus moriatur, eius titulus ac eius sustentationis vacat, ita vt apud Conuentum, Capitulum, seu congregationẽ maneat, atq; intra tempus à sacris Canonibus præscriptum alteri conferatur, vel collatio, aut prouisio ad superiorem deuoluatur. Si autem tota congregatio, vel conuentus penitus cessarit, siue solutus sit, tum consequenter, Prælatura, Administrationes, Officia, Canonia, Monachatus, & vno verbo, iura ac tituli extincti sunt, id est penitus cessarunt.* Oppon. in *Iusta defens. pag.* 443. *Et* 444.

Ita Fr. Romanus, certus mortuos non remordere; sic & mures in fabula leoni mortuo leguntur insultasse. Pluribus deinde velitatur, vt ostendat, mortuis & extinctis Monachis, iura Monasteriorum non esse amissa; manere titulos Abbatũ &c. hoc ipso, quòd Monasteria non sint dissoluta Iure, seu authoritate Superioris, sed facto: ac proinde cum recuperantur, non creari ius nouum, sed antiquum, vnà cum priuilegijs, reassumi &c. Post multa tandem concludit, in tribus à vero aberrare Opponentem. 1. *Dicendo, quòd toto conuentu mortuo, seu de facto soluto, consequenter omnes tituli & iura extinguantur, id est penitus cessent.* 2. *Quod huiusmodi vacantia Monasteria Romanus Pontifex, & Cæsar, assignare & donare possint, quibus ipsi velint; quòd non est verum, seruato Iure communi.* 3. *Quod singulis de collegio mortuis, iura ac tituli vacent & maneant in Dominio Ecclesiæ particularis, cuius tituli sunt.* Ita Fr. Romanus.

Quòd porrò ait, Opponentem dixisse, *non demonstrando, sed asserendo*, perinde videtur, ac velle ab eo, qui pueros elementa literarum docet, geometricam apicum fieri demonstrationem: quando quæ prædicto loco asserit Opponens, sunt velut elementa quædam in materia beneficiorum, Quamquam ex toto opere *Iustæ defensionis*, hoc solum & præcipuè egit Opponens, vt sua dicta clarè demonstraret; alioquì frustra in suo *Astro* tam verbosus fuerit Fr. Romanus: conatus respondere, & aërem verberare.

Ne verò & me asserendo tantùm, & non demonstrando agere conqueratur, remitto eum ad *c. Expedit, 12. q. 1. cum Glos. V. communis. c. Qui Christi. Et c. Qui abstulerit, 12. quæst 2. Non liceat. eod. Quoniam, 12. q. 2. Cum secundum. De præbend. Cum ex eo, De Elect. in 6.* Mitto plurimos Canones, ex quibus habetur, Dominium bonorum Ecclesiæ primum penès Christum esse; deinde penès Vicarium eius, & penès vniuersalem Ecclesiam: demùm penès Ecclesiam particularem cum suo capite particulari. Et quatenus vnaquæque particularium Ecclesiarum, est pars Ecclesiæ vniuersalis, esse penès vniuersalem Ecclesiam, cuius Summus Pontifex est caput vniuersale, Atq; ita interpretantur prædictos Canones Adrian. *de Restit. qu. pro clariori intelligentia. S. Thom. 22 q. 43. a. 8. Caiet. ibid. Maior in 4. dist. 24. q. 16. Turrecrem. Lib. 2. sum. cap. 113. prop. 6. Nauar. passim in Apol. q. 1. Monito 24. & sequentib. opusc. de spolijs Cleric. §. 3. n. 7.* Mitto innumeros.

Quòd si prædicta ratione, & nulla vnquam fundatorum facta mentione, bona & iura Ecclesiarum ad dominium & dispositionem Christi, eius Vicarij, & particularium Prælatorum spectant, quin etiam eadem, *Vacantia* quocunq; modo, aut melius, Ecclesiæ vacantes quocunq; modo, cum suis iuribus, aliisq; annexis, & connexis, ad eosdem spectent, nemo sanus mente dubitabit: huiusmodi enim dispositiones sunt connexæ, in quibus idem est iudicium. *c. Translato, De Constit, L. cum actum ff. de negot. gest.* Et sic verum est secundum & tertium dictum Opponenti à Fr. Romano sine fundamento & gratis erroris insimulatum.

Porro quia nunquam magis censentur vacare bona, vel Ecclesiæ, quàm per obitum & mortem naturalem eorum, qui obtinuerunt. *c. susceptum. De Rescrip. in 6.* sequitur ex ante dictis, extinctis omnibus cum capite in vna Ecclesia particulari, eam verè vacare, & consequenter ad superiorem fieri deuolutionem de iure communi, cuius erit prouidere vndecunq; de personis idoneis, siue his, siue illis. Et sic verum est primum Opponentis dictum à Fr. Romano inscitè & sine ratione de errore notatum.

Neq; obstant quæ ipse hinc inde congerit ex Doctoribus absq; delectu, ne dicam intellectu: Tantum enim volunt extinctis omnibus de facto in Ecclesia particulari, non extingui eius iura & priuilegia, sed transire in successores, seu substitutos, interea verò dormire. Quod autem hi potiùs, quàm illi substituendi sint, non vrgent. Nam quod Abbas, alijq;, iuxta aliàs dicta, substituendos dicant, *eiusdem qualitatis homines*, non est necessaria Iuris interpretatio. Omninò enim sicut mortuo Episcopo, cuius sponsa vxorq; dicitur Ecclesia particularis, potest hæc, cui voluerit, nubere, *tantum in Domino 7. q. 1. Sicut alterius*: Ita vicissim superior potest eam tradere, cui voluerit. In correlatiuis enim est par reciprocatio. *Arg. L. 1. ff. De contrahen. empt. Et L. 1. ff. de rerum permut.* Quod autem in dicto Canone dicatur, *in Domino*, id est, *regulariter*; & hinc velit Fr. Romanus inferre, non alijs, quàm *Regularibus* concedenda esse eiusmodi beneficia, perinde est, atque apud Panuntum, per

verba

verba *formaliter* & *formales causas*, caseorum formas intelligere. At enim dicet, Glos. interpretari *regulariter*, id est, *homini suæ professionis*: Rectè; sed vereor, ne Fr. Romanus cum Glossa lumen à tergo inueniat, vt inquit *Azo in Proœm. Sum.* facile enim hinc consequetur, non nisi *Regularibus* suæ professionis, id est, *Monachis Ordinis S. Benedicti*, conferendos esse Episcopatus, & similes dignitates. Intelligendum ergo *regulariter*, id est, *conuenienter*, legitimè, idoneis, *sanctæ & Christianæ vitæ* hominibus; & hoc sensu dici potest eiusdem professionis. *Arg. 28. q. 1. Caue.* Hieronym. Epist. 47. ad Pammachium: tametsi ea verba non reperiantur in hoc Canone: quemadmodum Fr. Romanus à Glossa falsus, ridicule existimauit.

Quòd etiam in *Concil. Trid. Sess. 14. cap. 10.* vnde præcipuum argumentum desumit Frater Romanus, dicatur, Regularia beneficia in titulum Regularibus professis prouideri consueta, cum per obitum, aut resignationem, vel alias, in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosis tantum illius Ordinis, vel ijs, qui habitum omninò suscipere, & professionem emittere teneantur, & non alijs, *ne vestem lino lanaq; contextam* induant, conferantur. Hoc inquam, nihil obstat; loquitur enim Concilium de beneficijs administrationem habentibus in titulum concedi solitis; quæ perinde atque beneficia ordini annexa, cuiusmodi sunt Abbatiæ, Prioratus &c. non vult conferri, nisi regularibus eiusdem Ordinis, & propriè religiosis, id est, professis. *c. Cum singula §. Prohibemus. De Prabend. in 6. Et Clem. 1. De suppl. negl. Prælat. Et c. cum causam. De Elect.* quòd, vt hic dicitur, *secundum legem diuinam non sit arandum in boue & asino.* quæ verba nouus hic Gratianus inseruit textui Concilij Tridentini. Sensus autem est, non esse danda dicta beneficia secularibus, quourm nō solùm non est eadem, sed planè àduersa professio, atque etiam in eodem ordine non esse conferenda omnibus, quantumuis Clericis, sed professis, aut qui professionem emittere teneantur. Quid verò hoc ad propositum, vbi non est sermo, de beneficijs priuatis &c. concedi solitis in titulum. &c. Sed de non concessis, & in totum vacantibus?

Obiter autem hic aduerto, nihil hinc in re sua proficere Fr. Romanum, non solùm, quia Concilium loquitur, nō de Monasterijs recuperandis, seu recuperatis applicandis, sed de ijs, quæ nunquā extincta, in viridi *obseruantia vigent*, vt dicitur, *aut* priuatim & in peculiaribus personis, ordinandis, vt patet ex ijs Concilij verbis, *cum per obitum, aut resignationem &c. obtinentis vacare contigerit*, quæ non possunt cadere in totum Monasterium, aut Conuentum: Non solùm dico hanc ob causam, sed quia dictorum beneficiorum capaces non sunt, nisi aut professi, aut qui professionem emittere tenentur, per tria vota substantialia paupertatem, castitatem, obedientiam, nisi per priuilegium aliqui eximantur ab aliquo horum. *Arg. L. non omnis ff. de reb. cred. Et c. fin. De præbend. Nauar. De redit. Eccl. q. 1. a num. 6.* At Monachi Ordinis S. Benedicti, vt videtur velle Fr. Romanus, non vouent castitatem, sed virginitatem, vt vix sciri queat, qui ex ijs sint, quibus competat ius qualecunque ad capessenda beneficia.

Mitto quam plurimas alias rationum differentias, ob quas prædictus Concilij locus non videtur ad rem facere. Mitto ratiocinationem Fr. Romani magna ex parte fundari in ijs, quæ *pag. 44. n. 34.* de Canonia præmisit, nimirum *Canoniam Monachalem esse ius quoddam, quod ex receptione alicuius in Monachum de nouo creatur.* Sed cum in Iure definitiones periculosæ sint. *L. Omnis definitio ff. De reg. iur.* tum hæc nō à Iurisperitis, sed à Fr. Romano nouo Gratiano conficta, ridicula est, & falso

in eam

in eam rem citat *Hostiens. in sum. De Præb. & dignit. n. 2.* hic enim non Canoniam Monachalem, sed Canoniam definit, cuius species Canonia Monachalis esse non potest, sicut etiam *Innocent. c. Cum in socijs. De consti.* Scio quosdam ad hoc colorandum vti *Glos. in Clem. Dispendiosam. De Iudicijs.* Sed præterquam quod *Glos.* dubitando loquitur, etiam Iura impropriè allegat. Et melius ibidem Panormit. negat *Monachatum* posse dici *Canoniam regularem*, hoc ipso, quòd neget Monachum propriè & simpliciter habere officium vel beneficium, sed votum, & ratione voti ius quoddam spirituale, simile in multis iuri, quod habet Clericus beneficiarius; nec aliud conficere argumenta Glossæ notat *Azor. tom. 2. Instit. mor. lib. 3. c. 26. q. 7.* Et eadem ratione potest intelligi præbenda Monachalis, ratione cuius Monachi habent portiones priuilegiatas, vel determinatas, panem, vinum, salem &c. vt notat Nauar. *De Regul. com. 3. in fin.* Verùm quid hoc ad rem? Ego panem, vinum & salem Fr. Romano libenter relinquo. Et Opponens, qui Canoniam Monachalem benignè concedit, addet vltrò eidem, oleum, acetum, caseum, cæpas, & id genus.

Atque ex his patet, quàm solidum sit fundamentum, cui magnam partem nititur Astrum Fr. Romani, vt eo subuerso, tota eius machina dehiscat in arenam; sublato quippe fundamento, ruit ædificium, *L. Fluminum §. Idem Seruius ff. De dam. inf.* vt ridiculè demum sub finem suæ responsionis *pag. 54. §. Sed quomodo.* recurrat ad quasdam nocturnas apparitiones, vnde probet, non posse Monasteria vocari extincta, quod certis anni temporibus, accensis luminaribus adornatis altaribus, &c. beatæ Monachorum animæ in hunc vsque diem in ijs chorum frequentant &c. *& fundationibus antiquis quoquo modo satisfacere connituntur.* Has equidem apparitiones, si veræ sint, fieri in attestationem veræ & antiquæ religionis Catholicæ, in illis partibus agnoscendæ, non negarim: at beatas animas ea demonstratione satisfacere fundationibus antiquis, Theologiæ Fr. Romani concedo. Dura profectò obligatio, qua mortui à mortuis sibi satisfactum velint; an quia viuentes hodie minùs satisfaciunt? vel certe non amplius existunt, nec amplius existere possint, qui primis extinctis, iure satisfaciant?

Ex hac autem Theologia vlteriùs sequitur, non viuentibus modò, aliorum Monasteriorum etsi eiusdem Ordinis Monachis, sed illis ipsis mortuis, & munus suum obeuntibus, recuperanda esse Monasteria; quippe apud quos viget *astrum inextinctum*, vt innuit Fr. Romanus, qui tamen ne resuscitati quidem amplius Monachi, qua tales, erunt. Et ipsemet Fr. Romanus *pag. 46.* fatetur, sibi non esse sermonem de mortuis resuscitandis, sed de Monasterijs restituendis, quæ tamen cum nec resuscitatis debeantur, vt docet *Pauin. De off. & potest. capit. Sede vacante, prælud. 7. n. 4.* & ex hactenus dictis, viuis etiam prætendentibus iure indebita sint, vix aliquid de hoc argumento dicendum restat.

Maneat ergo senex Doctor, & insignis Decretorum Professor Laymannus in sua Cathedra. Fr. autem Romanus, agnoscat inscitiam suam, & verbosam inconsiderantiam, nec pudeat eum, non iam hærere in subsellijs, sed demittere se ad scabellum pedum discipulorum Opponentis, vt vel sic erudiri gratiæ loco sibi datum existimet.

Pag. 109. Num. 23.

POstquam multa non ad rem profudisset Fr. Romanus, tandem *Hic igitur* inquit, *finis est finalis nouitatum ac subtilitatum eiusmodi, quando Regiam deserimus*

viam,

viam, ac Sacris Canonibus & omnibus bonis nos opponere deniq; sit necesse. Imo si propriè loqui velimus, non est ista subtilitas, sed proprij ingenij rustica fiducia, nouitatisq; libido, qualis in causis Ecclesiasticis summopere reprobari docetur c. Dilecti 6. De Iudic. & ibi Glos. v. subtiliter. quia ad perniciem reuertuntur. C. ad Trebel. L. Pen.

Ita Fr. Romanus aduersùm doctrinam Opponentis. Et poterat ex Glos. citata adiungere. *Cum enim de bona fide agitur, de apicibus iuris non est disputandum. L. si fideiussor. §. Quædam ff. Mandat.* nisi conscius sibi fuisset, se non bona fide agere. Poterat etiam dict. *L. pen. C. Ad Trebel.* in fonte videre, & animaduertere de se dici, *Quis enim sensus, qua vox furioso esse intelligitur?* modestius forsitan locutus, cauisset; ac saltem non cum Glos. corruptè, sed cum ipso textu legisset *in perniciem eorum reuertatur.* Est autem sermo in casu particulari, qui ad rem præsentem ineptè applicatur, imo Fr. Romano cum antiquis ordinibus, applicando malè consulitur.

Ridiculum porrò est, quod ad probandum intentum vtatur *c. Quis nesciat Dist.* 11. adeoq; iugulum ipse sibi præcidat; In eo siquidem Canone Innocentius reprehendit, qui aut nouitates induunt, aut alterius Ecclesiæ, quàm Romanæ, existimant consuetudinem esse seruandam. Sed enim quid tam nouum & contra Ecclesiæ Rom. consuetudinem, quàm Imperatorem supremum, in causis Ecclesiasticis Iudicem asserere? quàm calumniari Bullis Pontificijs Religionum instituta approbantibus? quàm hæreseos arguere iurium Ecclesiasticorum defensores, & damnare erroris Catholicas propositiones? quam deniq;, vt sexcenta taceamus, exprobrare Religiosis votum castitatis, quia non est votum virginitatis? & similia id genus partim in loco afferenda. Nimirum non est hæc rustica fiducia, sed nobilis ingenij præsidentia; non est noua subtilitas, sed vetusta hæreticorum peruersitas; *regia* scilicet *via*, qua grassatur ad gloriam Fr. Romanus, nihil vt obijcere queat Ioanni Deckerio Iesuitæ, quòd ab huiusmodi regia via declinarit.

Pag. 115. Num. 27.

DIxerat Opponens. *Nihil obstare, tametsi adiuratio, seu cuius vis mali comminatio pia causa dispositioni sit adiuncta contra eum, qui iura, & bona relicta alio transferre præsumpserit. Intelligi enim debet secundùm terminos iuris* &c. *vt nihil illicitè, irrationabiliter, aut non cum legitima authoritate* &c. *immutandum seu transferendum sit. Falsum etiam esse, quod sancti in Cælo lacessantur* &c. *si quadam monasteria alteri ordini applicentur.* Ita ferè. *fol. 25.*

Vt respondeat Fr. Romanus, excipit, & veneratur plenitudinem potestatis Pontificiæ absolutæ (scilicet). Addit, *pag 116. col. 2. Sanctis in cælo perinde esse siue profana autoritate, siue per falsa narrata, & falsas informationes, monasteria sua auferantur.* Arguit ex postfacto. Iam enim aliquot monasteria Pontificia & Cæsarea autoritate applicata erant, aut certè, vt applicarentur, decretum erat. Proinde execrationes, & Sanctorum iram in Pontificem quoque tonare affirmet necesse est. Hæc est veneratio plenitudinis potestatis.

Ridiculum porrò, & illud est, quòd cum plura exempla enumeret ex Petro Cutsemio de Principibus secularibus, & quibusdam etiam Ecclesiasticis, ob translata monasteria infelicem exitum sortitis, implicitè, sed imperitè tangat Summum Pontificem, quasi ex eo quòd Principes seculares, vel Ecclesiastici inferiores, contra Iuris formam transtulerint monasteria, id neque liceat Pontifici vlla ex causa.

Quin verò suam ipse causam strangulat inconsideratus Fr. Romanus. Qua enim authoritate filius Ottonis Merspurgensis Episcopatu destructo, bona illius transtulit ad Magdeburgensem Ecclesiam? nempe, vt historia dicit, *propria*, *profana*, *nulla*. Quare Fr. Romanus nihil ad rem dicit.

Porrò si Ferdinandus II. Imp. aliqua bona Monasteriorum transtulit, quòd non negabit Fr. Romanus: quæro, qua authoritate id fecit? sua, an Summi Pontificis? si primum; erit profana & nulla: si secundum, frustra passim adulatur Fr. Romanus, affirmando supremum iudicem causarum Ecclesiasticarum esse Imperatorem: frustra etiam eiusmodi exempla colligit, quibus non benè consulit Ferdinando Imperatori. Quare si retorqueantur narrata à Cutsemio. *Historia*, inquit, *notatu digna, vt huius Ottonis* (puta secundi) *exemplo, Principes, Reges, Imperatores perpendant, quàm periculoso, & quanta cum iactura corporis, & rerum, animæq; dispendio Ecclesiasticis se rebus immisceant, etiam cum quid rectè* (nota Fr. Romane) *Deoq; gratum se facere existimant*: si inquam hæc retorqueantur, ruit, quicquid hactenus Fr. Romanus pro tuenda Cæsaris authoritate in causis Ecclesiasticis inconsideratè affirmauit.

Vbi ergo modò puerilis illa, & plena adulationis exaggeratio *pag.* 192. §. *Præterea*, & §. *Nefas*. Imperatorem è *tribunali deturbare, sceptrum illius inuadere, è manibus excutere, solium occupare, qui negat Imperatorem esse legitimũ Iudicem in causa restitutionis Monasteriorum*? An non hoc est periculosa adulatione velle immiscere Imperatorem rebus Ecclesiasticis? Viderit Fr. Romanus, ne iuxta visionem, quam ipse ex Cutsemio refert, simili ignominiæ subijciat Ferdinandum II. quam à Diuo Laurentio Rex Otto tulit. *Fecit enim contra Ius in Ecclesia Dei*, inquit historia. An non idem facturus Imperator, ô Fr. Romanè, si iuxta te supremus Iudex in Ecclesiasticis constituatur? Vt hic verè locum habeat, quod Imp. Aurelianus *apud Flauium Vopiscum* memorat. *Bonus, cautus, optimus, venditur Imperator*; quod tibi etiam, & tui similibus Ferdinandus pius obijciat, ô Frater.

Rectè verò impertinentem Fr. Romani argutationem eludit Opponens. Si quippiam concludere vellet, vel signum aliquod seu miraculum de cælo exhibere deberet, quo Deus demonstrasset eiusmodi translationem Monasterij, ad collegij vel seminarij erectionem, diuinæ suæ Maiestati displicere. Id cum adferre non possit, apud nullum prudentem Iudicem causam obtinebit. Hæc fere Opponens. Quibus addo, plurima exempla me legisse huiusmodi translationum, nec vnquam obseruasse cælestes idcirco iratos, aliquid molitos fuisse contra Prælatos Ecclesiæ, qui eiusmodi mutationes vel ipsi fecerunt, vel procurarunt. nec pauca suppeditat *Albertus Cranzius in sua Metropoli*, ac interdum narrat, amotis etiam monachis, ne dicam expulsis, substitutas fuisse moniales, vix fortasse respectu maioris boni, qui finis in præsenti causa attenditur.

Eat ergo Fr. Romanus, & vltro exempla emendicet impertinentia ex *Abbate Trithemio*, quasi S. Gregorius in visu improbarit concessam ab Hadriano Papa mansionẽ in Cœnobio S. Andreæ, Thietgaudo Treuirorum Archiepiscopo. Scilicet ante Hadrianum & Gregorium, non erant soliti ad vrbem venientes Prælati exteri in Cœnobijs hospitari, & credibile sit S. Gregorio displicuisse pietatem Hadriani impensam Thietgaudo reconciliato. Sed Fr. Romano perinde est vndecunque historiolas, ne dicam fabulas, sine delectu colligere, quia ratione de-

stitutus

ſtitutus eſt. Sic alibi exſuxit fabellam ex libris Capitularibus. Scilicet Caroli Magni.

Pag. 123. col. 2. circa med.

GRauiter hallucinatur Opponens quod beneficia Eccleſiaſtica inter quæ computat etiam Monachatus, primitus inſtituta non ſint pro Monachis, ſed pro ijs, qui publicum Eccleſiis miniſterium præſtant. Hoc dictum inquit. Fr. Romanus, *hæreticorum eſt, ſi non hæreticum* &c.

Equidem hoc dictum in Opponente non inuenio, neque enim Fr. Romanus libidine calumniandi abreptus locum notauit. Fac ita, dixerit. Videamus, an recte. Non puto controuerti, niſi an beneficia Eccleſiaſtica primitus inſtituta ſint pro Monachis, quicquid ſit, an inter Eccleſiaſtica beneficia Monachatus computetur. Non eſſe porrò inſtituta initio pro Monachis, parum refert, ſi etiam hæreticorum ſit dictum, modò verùm; nam plura quæ in Sacra Scriptura dicuntur, etiam diabolus interdum vſurpauit; ſed videamus, an ſit hæreticum. Interim nobilis Theologus Fr. Romanus demittat ſe ad ſuppedaneum, & purgatis auribus accipiat.

Beneficij vocabulum accommodatum ad titulos ſeu iura Eccleſiaſtica, habetur in *Concil. Mogunt. c. 1. De Eccl. ædific.* non illo, quod Godeſcalcum monachū, ex Theologicis nimium ſapere præſumentem damnauit, ſed quod poſterius celebratum eſt. Res tamen ipſa antiquior eſt. *c. Omnes diſt. 22. ex Nicolao P. Et 13. q. 1. Eccleſias. ex Dionyſ. Et 12. q. 1. Videntes. ex Vrbano*; in quibus horum titulorum cum ſuis prouentibus peculiaris ſit mentio. Et multi tituli, ſucceſſu temporis inſtituti, beneficia ſunt vocata. In his autem duo conſiderantur, ius nimirum miniſtrandi ſpiritualia, quod proprie dicitur officium, & ius percipiendi emolumenta temporalia, quod dicitur præbenda, vel beneficium, datum propter officium. *c. Quia per ambitionem. De Reſcrip. in 6.* quamuis iam ex vſu totum id quod ex vtroque reſultat, & eſt quaſi moraliter vnum, dici queat Eccleſiaſticum beneficium. Primum ſicut multiplex eſt, ita varia beneficia Eccleſiaſtica. *Rebuff. in Prax. Tit. Quotuplex ſit beneficium. Selua de Beneſ. in princ. Azor. tom. 2. lib. 7. cap. 2.* ſemper tamen deſumuntur ex titulis, ad quos, prouentus quicunque, ſe habent materialiter, vel ſicut acceſſorium ad principale.

Porro cum multiplicis generis ſint beneficia, de quibus omnibus habetur in Iure *Canon. c. Omnes Diſt. 12. Et. c. 1. 2. 3. 9. q. 1. Et c. Nullus. eod. q. 2. Et toto Tit. De Præbend. lib. 3. & 6.* & poſtrema fere habentur, quæ ſolum ad ſeruiendum in diuinis officijs inſtituta ſunt. Nullo plane horum omnium affectum eſſe ſtatum Monachalem, in confeſſo eſt, quia nulla inducitur obligatio ſeruiendi populo in ſpiritualibus; idque nomen ipſum Monachi indicat, debet enim manere & agere ſolitarius *16. q. 1. Placuit.* Vitare multitudinem. *16. q. 1. Si cupis.* Non poteſt prædicare niſi in ſuo clauſtro, nec pœnitentiam alijs dare *16. q. 1. Placuit omnibus. Et c. Monachus. c. Iuxta. & c. Adijcimus*; Vnde neceſſariò conſequitur, ſtatum Monachatus, in ſe conſideratum, non conſtituere miniſtros Eccleſiæ, adeóque beneficia Eccleſiaſtica primitus inſtituta non eſſe pro Monachis, qui ex ſtatu ſuo publicum Eccleſiæ miniſterium non præſtant, quæ eſt Opponentis Doctrina.

Eandem neceſſario ſupponunt omnes, qui, ex vi ſtatus, non concedunt, Mo-

nachis intrinsecum ius Decimarum, atque adeo negant illis Iure communi deberi, quia cùm non sint publici ministri Ecclesiæ, populus ad eos ex iustitia sustentandos non tenetur. *Ita D. Thom. 22. q. 87. a. 3. ad 3. Alensis 3. p. q. 51. m. 6. a. 2. Abulens. in c. 23. Math. c. 189. Turrecrem in c. Vlt. 16. q. 1. ad q. 1. Abbas in c. Suggestum. De Decimis. S. Antonin. 2. part. Tit. 4. c. 3. §. 3. Huc faciunt. c. Alia causa. c. Placuit. 2. c. Peruenit. c. Doctos. c. Si Monachus.* 16. q. 1. quibus dicitur ad Clericos pertinere ex Altari viuere, non verò ad Monachos, nisi in Clericorum statum & munus assumantur.

An vero omnes hi Doctores sapientissimi, sunt hæretici, aut hæreticorum dictis, quatenus talia sunt, adhærentes, an potius Fr. Romanus propriam vocem ignorat? qui vlterius docendus est, Monachos, etsi ex deuotione, vel regula, aut voto proximorum saluti incumbant, non ideo ex iustitia alendos à populo, sed tantum ex gratitudine, misericordia, seu charitate. Et quamuis conferri eis possint bona, non tanquam monachis, sed tanquam pauperibus, si sint tales, nullum tamen propterea eis iùs conferri ad ea bona; sed ad summum ius ad fructus, non titulo iustitiæ, sed tantum charitatis ab ijs, quibus ius competit: quæ si consideret Fr. Romanus, profecto inducet inscriptionem sui libri. *Ius agendi Antiquorum religiosorum ordinum pro suis monasterijs &c.* & consequenter occumbet, imo in tenebras incumbet *Astrum inextinctum.*

Non nego posse competere Monachis, ius etiam ad bona, si, quod interdum fit, beneficium aliquod eis conferatur, siue ex priuilegio, siue aliquo alio titulo spirituali, idque constat *ex Abbat. in c. quamuis. De Decim. Et DD. in c. causam qua De Præscript. Gutier. Consf. 5. n. 2. &* 17. Sed hoc non est ex primario monachatus instituto: proinde vera & Catholica est doctrina Opponentis, Fratris vero Romani, vt benigne loquar, falsa & erronea.

Pag. 129. Num. 38.

DIxerat Opponens. Ex declaratione Eminentissimorum Cardinalium super Trident. sess. 23. c. 18. De Reform. *Magistros, qui in seminarijs pueros instruant, ceteris anteponendos esse Iesuitas, si reperiantur,* Ita ferè *Iusta. defens. fol.* 86.

Ad hæc Fr. Romanus. Melius egisset Opponens si verba integra syncere allegasset. Ea sic habent, inquit. *Ante omnia in seminarijs conducendus est Grammaticus & Musicus. qui pueros instruant, & si reperiantur Iesuitæ ceteris anteponendi sunt.* Debet igitur *iuxta mentem S. Congregationis,* inquit Fr. Romanus, *Iesuita esse Musicus* &c. *pueros q; instruere in arte Musica* &c. *qui Vult in Seminario ceteris anteponi. Quod Vtrum melius possint illi, qui ætatem in Choro consumunt, & ex instituto cantui Vacant, an illi qui ex Vocatione propria nunquam canunt, Eminentissimi Cardinales non expresserunt, sed facile indicabunt.*

Ita Fr. Romanus, non minus acutè, quam facetè, vt Musicus & Cantor singularis videri queat. Cardinales declarant conducendos esse ante omnia Grammaticum & Musicum. Fr. Romanus, nouus declarationum interpres, tacet de Grammatico, quasi ratio potior habita fuerit Musici, quàm Grammatici. Timebat enimuero, ne si de Grammatico loqueretur, non haberet locum argutiuncula. Et retorqueri poterat. Vtrum melius præstare possint illi, qui ætatem in scholis terunt, & ex instituto humanioribus literis vacant, an illi qui ex vocatione propria, an potiùs

tiùs ex neglectu eas postponunt, Eminentissimi Cardinales non expresserunt, sed facile iudicabunt.

Nec dubium quin si alterius tantum sit copia, malint Eminentissimi Cardinales Grammaticum, quàm Musicum: per Grammaticen quippe disponuntur adolescentes ad reliqua studia, quæ loco citato Concilium Trident. requirit, *bonarum* scilicet *artium disciplinam, sacram Scripturam, libros Ecclesiasticos*, & id genus; ad quæ cantus tam facit, quam cicada ad formicam. Nihilominus & cantum præscribit ex antiquo instituto *Dist.21. Clero*. Et *de Consecr. dist.5. Non mediocriter. & Dist. 25. Perlectis*. Quæri tamen potest cur Eminentissimi Patres, Musicos ex Iesuitis potius, quàm aliunde petendos censuerint, si reperirentur; ad solos enim Musicos restringenda est, particula *conditionalis*, cùm de Grammaticis dubium nullum esset. An forte, quia (vt habet meus Codex) peritos Musicos esse voluerunt, non secus ac Grammaticos, qui ex arte & non ex vsu triuiali docerent? addo etiam ex decoro, vt ad deuotionem & compunctionem animos audientium prouocarent. *c. Clero dist. 21.* Alioqui non ignorabant Cardinales ex tot cuneis in choro cantantium, superesse, & vocaliores, & fistulæ purgatiòris, qui vel assa voce quæuis organa obruerent, qui tamen Iesuitas Musicos, si reperirentur, anteponendos censuerunt. Et non dubium si Iesuitæ velint, in hoc etiam genere se probaturos, nec erit præter vocationem ipsorum, hoc ipso quod ad iuuentutem pro Ecclesiastico ministerio pie formandam tale institutum rectè dirigi queat; vt neq; existimo futurum contra vocationem antiquorum ordinum, si in humanioribus periti euadant. Ac tum fortasse Eminentissimi Cardinales suis Declarationibus appendicem additurì sunt.

Pag & loco ijsdem.

Taceo, inquit, Fr. Romanus, *quòd Laurentius Forer è Societate Iesu, dicat plures esse decisiones vel declarationes Cardinalium, quæ placeant Vrbi non Orbi.*

Quia enim Fr. Romanus cogitabat Eminentissimos Cardinales facile palmam daturos Monachis, si de cantu quæratur, existimauit id non concessuros Iesuitas, etsi macilentos, & voce defectos sonantiore, ideo hac argutiúcula anteuertit. Quod Laurent. Forer dicat, plures esse decisiones vel declarationes Cardinalium, quæ placeant Vrbi non Orbi. Hoc ipsum obtrusit *in præfatione ad Lectorem pag. 15.* foro qualicunq; vsus, vt præter rhombum obtrectaret. Ceterum cum S. Congregatio in hac Declaratione, Iesuitis cum laude fauerit, alijs nimirum anteponendos esse, si etiam Musici inter eos reperirentur, nulla erat causa, cur & ipsis non placeret quod placuit Vrbi. Proinde non alia est in loco huius dicti gratia, quam quod in more Fratris Romani sit impertinentia dicere.

Equidem si valet argumentari ab expresso ad tacitum & contra, quod frequēs est apud Iurisperitos, suspicor dolere Fr. Romano, quòd Cardinales Iesuitas prætulerint, & icirco eum hoc dicto Scommatice in ipsos Cardinales ludere. *Quod plures decisiones vel declarationes placeant Vrbi, non Orbi*; prætextu tamen & specie quadam Laurentio Forero attribuisse, quod reuera eius non est. Huius prætextus est zelus ille quo idem Fr. Romanus in dedicatoria ad Eminentissimum Card. Frãc. Barberinum, hoc eodem dicto vociferatus est. *Expectabas dicturum in amplissimo & sanctissimo Patrum purpuratorum Senatu videri tot considere Reges quot Patres? At is Eminentissimos Cardinales carnem & purpuram putat*; sic ille, pluraque adulari doctus, aggessit.

C Et

Et reuera ex zelo qualicunq; tandem occlamare crederes, nisi adulatio, quæ vt initio operis diximus, alter eius agendorum cardo est, manifestè se proderet. Scilicet ipse non *ferrea*, cuius Forerum arguit, verum *argentea & tinnula* voce, *Mi homo* inquit, *sat multis placet qui Romæ placet.* Et *Ingens orbis in Vrbe est*: nesciens quod *c. Legimus dist.* 93. Orbis maior esse vrbe dicatur, rectius cogitaturus, esse in vrbe ingens theatrum, quod discernat adulatores à sinceris & modestis. Sed enim vt adulari sit extollere superiores in eo, quod habent, animo placẽdi. *Dist.* 25. *Vnum. orarium*: negare tamen illis, quod habent, mentiri est. Negat autem Fr. Romanus Cardinales carnem esse, adeoq; homines esse, contra manifestum scripturæ sensum. *Veniet omnis caro, Vt adoret coram facie* &c. *Isai.* 66. nisi forte spiritu solo constare credat. An etiamse aliud ipse, quam quod cognomento Hay præfert (sic Amanuensis meus) fœnum esse putet, adeoq, carnem?

Cautè enimuerò in re sua, ne si carnem, aut carneos existimet Cardinales, sensuros sibi persuadeat aculeos, quibus passim in Astro suo eos pungit & figit, nisi & ipsum Summum Pontificem fodiat, dum non semel quæ Romæ deliberantur, *super arenam fundari* obtrectat. An non hoc grauius, quam dicere multa vrbi non orbi placere; quando vel quæ ex instituto Concilij Tridentini decernuntur, Seminaria nempe fundari & ad hunc vsum Monasteria desolata conuerti, summopere placent vrbi, sed Fr. Romano haud probantur? Talis est Adulatio Fr. Romani, quam non apes Barberinæ suo melle illeuerunt, sed excreto in linguam humore scarabei acuerunt, vnde nec animam nec linguam haberet eruditam. *arg. proœm. ff. in fin.* Scilicet non poterat Eminentissimus Cardinalis laudari, nisi Laurentius Forerus vituperaretur.

Porro noueris Lector, quod paulo ante monebam, id dictum non à Forero Iesuita vsurpatum, sed à duobus Ordinis Præmonstratensis Religiosis, dum disputationem de Abbatibus publico specimine ederent: horum fuit Thesis proposita, tametsi quod Iesuita præsideret, eius quoq; nomen præferebat, nemo tamen ex nomine damnatur præsertim à fontico appellatus. 2. *q.* 1. *multi.* Verum fac ita esse, Forerus dixerit, saltem quia non improbauit, imo quia præsedit, vt sic per alios dixisse videatur. *c. Qui facit per alium De Reg. Iur. in* 6. Videamus si in loco, quo prædicti Theologiæ Candidati id vsurparunt, tam male sedeat, vt hinc fimus extiterit scarabeo in pilam voluendus.

Quærebatur. Vtrum facultas concessa Episcopis in *Concil. Trid sess.* 24. *cap.* 6. *De Reform.* sit reuocata, per Bullam Cœnæ (quantum attinet ad absolutionẽ ab hæresi & alijs occultis casibus Papæ reseruatis.) Et tuebantur dicti Patres Præmonstratenses sententiam, quæ docet, ad derogandum Concilio Trid. requiri specialem eius mentionem, nec sufficere generalem. Si quæ vero Declarationes Cardinalium in contrarium allegentur, eas vel solum loqui de locis Romæ vicinis, (*nam plures eiusmodi sunt Decisiones*, inquiunt, *quæ placent Vrbi, non orbi*) vel solum derogare potestati priuatorum, qui ex priuilegio poterant ab omnibus casibus & censuris Papæ reseruatis absoluere & absolui. Hæc illi

Quæ enimuero hinc occasio obloquendi, nisi non intelligenti iuris terminos, quid nempe sit placere Principi, & cuiusmodi sit placitum eius, quod licet vim legis obtineat, interdum tamen non omnes obliget, proinde ex voluntate Principis nõ sunt trahenda talia generaliter ad omnes. arg. *Inst. De Iur. nat. gent.* §. *Sed & quod Principi*, vt rectè dici queat, aliquas Decisiones placere vrbi, & non orbi, hoc est

serua-

seruari in vrbe, & locis vicinis, iuxta *L. Vt Alphenus. & L. Ædificia. ff. de Verb. signif.* quas tamen si seruandas iuberet etiam alibi Summus Pontifex, seruarentur. Nam licet orbis maior sit vrbe *cap. Legimus. Dist.* 93. & ideò magis sequenda esset consuetudo generalis orbis quàm vrbis. *c. nouit. Dist.* 12. *& c nos qui, Dist.* 40. Si tamen vrbs vel Ecclesia Romana doceat seruandum alijs quoq; Ecclesijs suum institutum, dubio procul præualet. *De consecr. Dist. 1. Basilicas. Et c. nemo 9. quæst. 3. Syluest. V. Papa q. 4.*

Ex his patet inanem esse Fr. Romani calumniam, nec minus dignam Theologo obiectionem, vel si in suum sensum inuidiose detorqueat, vt mirum sit non cogitasse eum, se ab Eminentissimis Cardinalibus, non leuitatis tantum & malitiæ, sed etiam inscitiæ arguendum, vt qui ignorarit disputari à Doctis viris, an Declarationes Cardinalium vim habeant legis, nec ne? Sexcenti enumerentur, si otio abuti libeat. Videat, cui vacat. *Rodriq. tom. 1. QQ. q. 11. a. 2. Portel. in Dub. Regular. Tit. Card. Declarationes;* Nauar. *lib. 5. Consil de sent. Excomm. cons. 15. Bonacin. tom. 2. tr. de Legit. disp. 1. q. 1. part. 8* apud quem plures. Ac vt magis, & cum risu Romanæ vrbis elidatur Fr. Romani adulatio, subiungam instar omnium, quæ in volumine declarationum Lugduni recens edito anno 1634. excerpta ex Decretis summi Pontificis & Generalis Inquisitionis Hispaniæ præmittuntur. nimirum.

His declarationibus S. Congregationis Concilij nullam esse fidem in Iudicio vel extra à quoquam adhibendam sed tantum illis, quæ in authentica forma solito sigillo & subscriptione Eminentissimi Card. Præfecti, ac Secretarii eiusdem S. Congregationis pro tempore existentium munita fuerint; eadem S. Congregatio ex speciali Sanctissimi D. N. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. iussu, mandauit & præcepit. Romæ die 2. Augusti 1631. Et consilium sanctæ & Generalis Inquisitionis Regnorum Hispaniæ, cum huiusmodi declaratione posse libere & licite à quocunque vendi & retineri censuit. Matriti die 7. Octob. 1633.

Eat modo Fr. Romanus, placiturus opinor non vrbi, nec orbi, sed corbi.

Pag. 147. §. Eodem citato loco.

INducit Fr. Romanus Iurisconsultum Romanum ab Opponente relatum *fol. 61.* quasi ex eius mente declarata sit intentio suæ sanctitatis. Vt ex restitutorum monasteriorum bonis aliqua applicentur, *communibus vtriusq. sexus scholis cum Catholicis ac pijs ludimagistris, qui pueros doceant, ac in Catholica fide & bonis moribus educent.*

Ita Iurisc. Romanus, sed Fr. Romanus more suo omittit postremam partem *ac in Catholica fide, & bonis moribus educent,* neque solùm, sed solita corrumpendi arte, & omnino insulso acumine interserit quædam, nempe qui *pueros illos vtriusq. sexus* doceant, vt hinc in Iesuitas ludat. Multa vero aggerit, quorum sensus est. Se non assequi, an puellæ separatos alumnatus, quos, vel quales ludimagistros habituræ sint, cum Clerici præsertim religiosi, non debeant docere vllas mulieres, ex *Concil. Mediol. Tit. Quæ ad Missam Decret.* 23. Mulieres verò quæ id muneris constanter obeant, per Germaniam non sint, nisi forte virgines Iesuitissæ. quam tamen sectam Vrbanus VIII. *Velut vepres excrescentes in agro militantis Ecclesiæ extinxit, perpetuæq. abolitioni subiecit,* Bulla data Romæ apud S. Pe-

trum

trum *Idib. Ian. anno* 1631. adeoque postquam ista Opponentes scripserunt. His subiungit Fr. Romanus *Certè inauditum est in Ecclesia & sacris Canonibus vt Ecclesiastica bona personis Deo dicatis aut ordini sacerdotali consecrata, credantur vtilius committenda personis laicis, ijs præcipue quibus in Ecclesia silentium indicit Apostolus.* 1. *Cor.* 14.

Ita Fr. Romanus more solito, hoc est ad minus vel corruptè, vel non ad rem, semper tamen acute. Tota porrò eius ratiocinatio in hunc Syllogismum in Dialectica Arlotti, ex terminis à Fr. Romano assumptis redigi potest. *Opponentes volunt applicare quædam monasteria restituta, puerorum vtriusq. sexus scholis: Sed Vrbanus VIII. Iesuitissarum sectam extinxit; ergo Monasteria non sunt applicanda laicis* 1. *Corinth.* 14. Argumentum est in forma vt dicebam Arlotti. Maior est Opponentium. Minor constat de facto. Consequentia probatur, Quia Apostolus silentium indicit mulieribus in Ecclesia. Et confirmatur ex *Concil.* 7. *Mediolan.* in quo prohibentur Clerici docere vllas mulieres, ergo à primo ad vltimum non sunt instituendæ Scholæ vtriusque sexus.

Ridete lemures. Annon melius dixisset non dari *pueros vtriusq. sexus*, vel certè raros, proinde non esse illis monasteria applicanda! Ceterum vt Fr. Romanus Catechismi rudis assequatur quid Opponentes velint, nouerit in Germania non insuetum esse, vt in Catholicis locis habeantur scholæ pro paruulis vtriusq; sexus, id est pro maribus & femellis, & quidem in distinctis ac diuersis locis, (vt de Catechismis publicis, in quibus pueri & puellæ à Parochis erudiuntur nihil dicam) in ijsque exerceri primam ætatem ad doctrinam Christianam pro captu addiscendam, ad deuotionem, precesque fundendas, aliaq; ad vitam ex pietate instituendam necessaria, iuxta quæ partim in hanc rem pie constituit *Concil. Prouinc. Coloniense anno* 1536. *part.* 12. *cap.* 1. de pueris erudiendis, his præsertim temporibus, quibus *innumera* vt inquit *pestilentes hæreses totam fere Germaniam peruadunt* &c. Pro his igitur in Germania promouendis & pro ludimagistris eorum alendis, (quocunq; tandem loco, ex præscripto *Ordinariorum* operam darent) arbitrati sunt Opponentes applicanda quædam bona Monasteriorum restitutorum non minus piè, quàm vtiliter, ne inferior esset Ecclesia Catholica, si puellas Catholicas minus in pietate diligenter educandas curaret, quam Acatholici suas: neúe id contingeret, quod Petrus Manlius *in suis Diatis vere an falsò iactat, vnius puellæ Lutheranæ garrulitate, quâ suæ sectæ rudimenta occinebat, septuaginta Monachos hæsisse attonitos.*

Hac tamen de causa non foret necessarium, quod Fr. Romanus rudi sane phantasia imaginatur, alumnatus quosdam, & velut Gymnasia instituere, in quibus ludimagistri studiorum exercitijs præsiderent. Quamquam si ita res postularet, non esset opus nouo Iesuitissarum instituto, & satis superq; essent Antiqui Ordines, qui quemadmodum Monachas seu Moniales erudiunt, ita etiam puellis moderari possent: vel certe ex eruditis Monialibus deligere, quibus munus docendi committerent. Vt mirum sit Fr. Romanum adeò parum esse experientem sui instituti, nec videre vllas per Germaniam mulieres, quæ id muneris constanter & doctè obeant. Et fecere hoc olim præstantes Moniales Benedictinæ, pluribus etiam libris in rē Christianam editis, quid ni & hoc tempore præstare queant, nisi segniores aliqui fuerint in ijs erudiendis?

Rectè porro factum vt Iesuitissæ emersuræ supprimerentur, ne præiudicatum foret Ordinibus antiquis; deinde vel eo nomine, quod hactenus Iesuitæ suo mune-

re benè fungantur; multóque magis, quod institutum requirit, non solum sorores cognomines non admittere, sed ne mulierum quidem peculiarem curam suscipere. Quod tamen ab ordinum vocatione, non abhorret, nimirum & studia sua feminis impendere, & sorores eas, suoúe nomine monachas, seu moniales appellare, immo & honorem dignitatumúe vocabulis, Abbatissas, Priorissas, Vicarias nuncupare. Porro si olim non probro vertebatur Diaconissas, hodiéque Abbatissas, Monachas & Canonissas denominari, quid adeò monstrosum fuisset Iesuitissas dici à Iesuitis, si horum institutum, quoad par erat, aliquæ sectatæ fuissent, meliora charismata, vt ipsis videbatur, æmulatæ? num idcirco Fr. Romano ludendum erat in vocabulo, idque etiam in margine, sicut & cetera in *Iesuitas* obliquè detorta, eaq; sola tanquã singulari obseruatione digna enotare? scilicet hæc virulentia maxime eum ad reiectum tam crudũ adegit. Porrò istæ Iesuitissæ non erant, sed ne essent, cautum est; quid si fuissent? ac deinde ob improbos mores extinctæ, num idcirco nomini Iesuitarum probrum fecissent? non magis credo, quam cum *Humiliati* Benedictinorum, aut *Templarij* Cisterciensium, aut *Fraticelli* Franciscanorum instituto. Verum Fr. Romanus huc vsque non discreuit; qui Astrum inextinctum nisi Iesuitissis extinctis radiare non posse existimauit.

Iam quod faceto, vt sibi videtur, scommate fingit, non putare se, viros Religiosos hanc in se prouinciam, suscepturos, vt puellas doceant, idq; ex Concilio Mediolanensi probet; ex eadem Theologia proficiscitur, & parùm erat ignorare, ex Concilio Prouinciali, pro clero duntaxat formando eius prouinciæ coacto, non esse argumentandum ad clerum alterius Prouinciæ. *Arg. Vt animarum, De Constitution. in 6.* nedum generatim ad Religiosos ijsdem Decretis adstringendos, nisi & verba Concilij non integra attulisset; & hoc fallendi genere etiam Clero Mediolanensi Prouinciæ imposuisset. Concilium quippe Sanctissimi Caroli Borromæi auspicijs celebratum sic habet. *Clerici in eo officio ne se exerceant, vt villas mulieres etiam quauis dignitate illustres doceant legere, scribereúe, aut canere, aliòue cuiusuis generis musico instrumento sonare: nisi ij sint, quibus ætate, moribus & vita probatis, Episcopi iudicio id permissum est, facultate ab eodem scriptis data.*

Quare non prohibentur Clerici docere feminas, ea quæ ad pietatem spectant, sed alia indifferentia; neq; docere in templis, aut alijs pijs locis ad id destinatis, sed domi. Eadem tamen, quæ generatim prohibentur, permittuntur quibusdam iudicio Episcopi legendis; Id quod Fr. Romanus tacuit, ne Iesuitis amplam licentiam esse fateretur: in quibus semper dantur plurimi ita moribus & vita probati, vt eam facultatem ab Episcopis non modò facile obtineant, sed vltro oblatam iubeantur accipere.

Debuisset porrò Fr. Romanus ex hoc eodem Concilio addiscere, quemadmodum iubeat diebus festis dato campanæ signo venire *pueros & puellas* ad doctrinam Christianam addiscendam, separatis puerorum & puellarum classibus, adhibita in rem opera etiam secularium, nec tantum virorum (nota Fr. Romane) sed etiam piarum feminarum, & præterea monitis etiam prouectioribus *vtriusq; sexus* ad eandem doctrinam addiscendam, nisi antea eam edocti essent. Ita *Actor. p. 4. fol. 867. col. 1.* vulgari lingua. Nec solùm eas classes ordinandas iubet in Templis aut Ecclesijs, verum in quouis alio honesto loco. *Actor. p. 1. Tit. De Doct. Christ.* latinè, Quem locum si opponentes Scholas vocent, vereor ne Fr. Romanum ad angustias redigant, ea de causa auertendis Monasteriorum bonis metuentem.

Debuiſſet prætereà tam diligens Conciliorum Anagnoſtes, legere, quid dicat Concil. Colonien. *Tit. De Parochis & Vicarijs p.* 12. *c.* 1. notatum etiam à Scholiaſte *in Declarat. Concil. Trid. ſeſſ.* 24 *c.* 4. *De Reform. num.* 6. (niſi quod errore Typi *cap.* 4. *pro* 1. ponat) de erigendis nimirum ſcholis & gymnaſijs, in quibus pueri primis rudimentis imbuantur, à ſanæ doctrinæ integræq; & inculpatæ vitæ viris, hoc præſertim hæreſum tempore in Germania graſſantium. Debuiſſet legere & *cap.* 3. Vbi Concilium, inter alia, *Vix* inquit *didaſcalum vllum eruditum ac pium reperias, quod nihil pene ſtipendij illi ſuppeditetur, quod emendatione magna indiget. Neque enim hac res leuis momenti eſt, à qua totius propemodum Reipublicæ, tum ſalus, tum pernicies dependet.*

Itáne verò tanti momenti res eſt pueros inſtruere, quidni ergo in hanc rem impendantur Monaſteriorum, de quibus agitur, bona, ne ſalus Reipublicæ periclitetur? Habitum porrò fuit hoc Concilium quadriennio ante, quam Ieſuitarum Ordo à Romano Pontifice fuiſſet confirmatus, quamuis pro tenui manu antea in vinea Domini operari occæpiſſent. Vbi verò erant tunc Antiquorum Ordinum eruditi viri, quos *eiectis*, vt Concilium loquitur, *clancularijs magiſtellis vicatim docentibus* ſufficere oportebat? cur modo quidam bonis inhiant, quæ non cuſtodiuerunt?

Sed iam liberandus eſt Fr. Romanus ab errore, in quem ſua malè fundata Theologia præcipitat. *Inauditum* eſt, inquit, *in Eccleſia & ſacris Canonibus, vt Eccleſiaſtica bona & monaſteria perſonis Deo dicatis aut Ordini ſacerdotali conſecrata, credantur vtiliùs committenda perſonis laicis, ijs præcipue, quibus in Eccleſia ſilentium indicit Apoſtolus* 1. *Corinth.* 14. Hoc nempe eſt verſatum eſſe in doctrina Canonum, vt cancrum in herbido prato. Ecquis vel mediocriter tinctus ignorat, ius decimarum ſolis Clericis & Sacerdotali debitum eſſe Ordini, interdum tamen vtiliter concedi laico fructus earum. Et eadem eſt ratiò penſionum. Studeat Fr. Romanus & videat Felinum *in capitulo auſam, De Præſcriptionib. numero* 3. *Cardin. ibidem. & in capitulo. Cum Apoſtolica. De ijs quæ fiunt à Prælatis. Imol. in capitul.* 2. *§. Sane. De Decimis. Syluester. Verbo Decima. quæſtione* 10. *Ioannem Andream in c.* 1. *De Præſcript. in* 6. *Et in cap. Super quibuſdam. De Verbis ſignificationibus.*

Illud ſanè mirum, auſum eſſe eum dicto ſuo in fine, tanquam caudæ Scorpionis, venenum, ex Apoſtolo malè intellecto, ſuffigere. Indicit eo loco Apoſtolus ſilentium in Eccleſia mulieribus; Id ſi vniuerſim intelligat Fr. Romanus, monialibus interdicendum choro, officio, irritandæ fundationes. Si de laicis, vt videtur velle Apoſtolus, cùm dicit *domi viros ſuos interrogent*, extra gyrum ſaltat Fr. Romanus, pungendo Ieſuitiſſas; quippe quæ Deo ſacrandæ erant; ſed neque propoſiti compos, tangit merè laicas; quia Opponentes non agebant de feminis doctricibus, ſed de puellis docendis. Fac tamen locutos ſiue de laicis, ſiue de quibuſcunque alijs, ijſdemque docturis puellas: Aut iſtæ ſimpliciter prohibendæ ſunt loqui in Eccleſia, aut Concilium Mediolanenſe à Fr. Romano laudatum, contrarium ſanxit Apoſtolo, aut Fr. Romanus nec Concilium, nec Apoſtolum intellexit.

Primum

Primum dici non debet, alioqui vt exempla Veteris Testamenti mittam, Anna Prophetissa loquendo in Templo, & præterea Deipara Virgo alloquens filium in Templo inuentum, errauerint oportet; aut eius dicti Apostoli alium esse sensum necesse est affirmare; Sed neque secundum, prudenter asseritur; Rectè siquidem Concilium prædictum, feminas etiam laicas, sed pias præesse puellis docendis, idque etiam in Templo voluit; rectè præterea feminis Oratorium in sua vrbe concessit, ibidemque ex regula suas deuotiones peragere constituit. *Actor. par. 5. fol. 517.* Tertium ergo citra dubium sequitur, Fr. Romanum, nisi depranare voluerit S. Scripturam, ignorasse & sensum Apostoli & Concilij, quod an in Theologum Ochsenhusianum cadat, viderit ipse.

Pag. 148. Num. 3.

NOn iustè inquit Fr. Romanus, *defendit summum Pontificem Opponens, quando in translationibus fundationum mutationem fieri negat, sed per Epykiam duntaxat Pontificem Vltimarum Voluntatum interpretem constituit.*

Ita Fr. Romanus, sed non iustè. Opponens loquitur in casu particulari superueniente, ob circumstantiarum mutationem, & non vniuersim; quis enim dicat intercedere epijkiam, si Monachi *enormiter viuentes expelli debeant?* deinde non negat fieri aliquam mutationem materialem, sed veram & propriam, probátque suam doctrinam ex *Couar. in C. Tua n. 12. De Testam. Et Sa. V. Testamentum. num.* 33.

At insurgit Fr. Romanus. *Vsus Epykia* non est tantum supremi Principis, sed etiam hominis priuati & legibus subiecti, proinde cùm virtutis exercitium nemini sit prohibitum, quid vetat, quin priuatus quisq; non expectata Pontificia interpretatione hanc virtutem amplectatur, & monasteria accipiat in præsenti casu, per benignam Fundatorum interpretationem.

Ita ille, quamuis pluribus verbis. At quam vereor, ne cogar Theologum non iam demittere ad scabellum, sed iubere sublime tolli ad cathomum. Discat ergo ad Epykiam pertinere, vt attendat ad intentionem legislatoris ex *Philosopho 5. Ethic. c.* 10. Sed interpretari intentionem legislatoris ad solum Principem pertinet, *L. Inter æquitatem C. De legib. & constit.* Quis autem nescit dispositionem testatoris & fundatoris, vel legem vel instar legis esse §. *Disponat. Auth. De nupt. Bart. in L. Qui filium. §. Vlt. ff. ad Trebell. Et in L. si ita fuerit. §. quæst. n. 3. ff. De manu Testam.* Vnde & illud. Verba sententiæ & Testatoris eodem modo accipienda. *L. non est mirũ. ff. De pignorat. act. Bart. in L. Centesimus. §. Vlt. num.* 10. *ff. De verb. oblig.* Proinde non ad quemuis priuatum, sed ad principem spectat eius interpretatio: nec cuiusuis virtutis exercitium cuiuis esse conueniens, norunt etiam bubulci, alioqui Fr. Romanus, & auriga, & citharœdus. Neq; tamen negatur authoritate Principis in ius deducta posse interdum fieri eiusmodi interpretationem ab inferiori, iuxta ea, quæ docent. *Couar. in c. cum tua, De Testam. n. 7. Barbosa Alleg.* 83. *nu.* 3. *De off. & pot. Episc. Menoch. n.* 21 *in L. Vlt. §. Non facile. ff. De operib. pub.*

Et saltem Theologum scire oportebat, doctrinam S. Thomæ 22. q. 20. a. 1. ad. 3. *Interpretationem locum habere in dubijs, vbi non licet absq; determinatione Principis à verbis legis recedere.* Ecquis verò ignorat, quot dubijs sint implexæ fundatorum

D 2

rum & testatorum vltimæ voluntates? id quod multis inter alios ostendit Mantica *lib.3.De coniect.Vlt.Vol.tit.2.* Quis item vel elementarius in sacris Canonibus nesciat in dubijs grauioribus recurrendum esse ad Sedem Apostolicam? *Arg.c.Palam. Dist.11.Et 2.q.6.Qui se scit.* Sed hæc satis ad retundendam etiam inanem illam iactantiam, qua se pueriliter effert Fr. Romanus, postquam multa ineptè circa Epykiam effudisset *pag.109.* De qua à nobis supra dictum est.

Pag. 148. & 149.

Adhuc verò mussat Fr. Romanus, & ad confirmationem dictorum circa Epykiam, *Non capio* inquit, *quod dicat* (Opponens) *nequaquam verum esse, quod per eiusmodi Monasteriorum ad alium Ordinem, seu ad alium vsum pium translationem, voluntas Fundatorum mutetur, quando tamen ibidem (fol.23.) linea penult. concedit, quod in tali casu voluntas Fundatoris commutetur in melius. Non, inquam, capio, quomodo eadem voluntas commutetur, & tamen non mutetur.*

Ita Fr. Romanus subtili planè & excocto ingenio. Quem ne ex Theologia ablegem ad Grammaticam, iubeo ex Philosophia repetere, *Generationem esse mutationem totius in totum, nullo sensibili permanente vt subiecto eodem,* siue, vt aliqui legunt, *eiusdem*; proinde meminerit, mutationem aliquid diuersum significare, quod non dicit commutatio. Ac vt ex Iure etiam aliquantulum aspergatur, nouerit, mutationem plerunq. dicere destructionem eius, quod mutatur, loquendo iuxta habilitatem terminorum in moralibus. Sic enim mutantur incautè promissa *22.q.4.In malis.* Mutantur *Reges* (id est desinunt esse Reges) propter negligentiam regiminis 15 *q.6.Alius.* Similia habentur. *25.q.2 Cum pie.Et c Ecclesiastica. Et c. Posteaquam* §. *His.* Interdum tamen non desinit, quod mutatur, sed manet virtute vel secundum aliquid sui in alio, eaq; ratione dicitur commutari. Sic mutatur pœna in pœnitentiam. *22.q.4. Innocens credit.* Et peccator dicitur mores in melius commutare *De Pænit.Dist.1.§.Christus.* Nec aliquid crebrius occurrit in materia voti, quam vnum, commutari in aliud, vel melius, vel æquiualens, vt qui in hac re tricari velit, imperitè nugari potius videatur, quam argumentari. Porro si Fr. Romanus diligentius legisset Concordata Germaniæ, forsitan percepisset, quo sensu in ijs sumatur vocabulum *Commutationis* absque mutatione ab ipso perperam intellecta.

Quod porro attinet ad mutandas vel commutandas vltimas voluntates, Tunc censentur eæ mutari, quando aliquid disponitur directè contra eas. Et iuxta hæc intelligendus est *Baldus consi.297. ad fin. Vol. 2.* Pluraq; affert Mantica *De Coniect. lib.11.Tit.7.n.19.* Interdum vero non disponitur directè contra eas, sed vel extenduntur, vel interpretando declarantur. Velut si dicamus, quod si hoc vel illud cogitasset Testator, verisimiliter ita vel ita disposuisset. *Arg.L.penult.ff.De Iur.Cod. L.Vlt.ff.De Hered. instit. L. Titius* §. *Lucius Titius ff.de lib.& posth. L. Iam hoc iure ff.de vulg.& pupil.substit.* Et hoc est, non tam mutare quam commutare. Quod in præsenti argumento non solum doctè, sed dilucide tota pag.24.& 25. declarat Opponens. Quid nimirum facturi fuissent Fundatores, si præuidissent post aliquot annorum centurias, occupandas suas Fundationes ab Hæreticis, & de mortuis Monachis, iterum post multos annos recuperandas à Cæsare Catholico, eoq; tempore ab

ijs,

ijs, ad quos spectat, iudicandum fore melius, vt transferantur & applicentur ad vsus pro re & tempore vtiliores ad fidem propagandam: quid inquam facturi fuissent Fundatores, ita præclarè declarat Opponens, vt amplius in eius doctrina desiderari nihil queat, nisi à volente protervire, & nisi quis de Fundatoribus impie præsumat, noluisse eos quod melius erat, tum pro salute Reipubl. tum pró gloria animæ suæ eligere.

Pag. 151. Num. 4.

AD vitandam vocis ambiguitatem, ante *Quæst. 1. Præambulam.* Notarat Opponens, Plenitudinem potestatis in Principe, interdum accipi pro ea potestate quæ est fons & origo aliarum inde deriuatarum potestatum. Interdum vero, vt idem sit, quod potestas absoluta seu libera à lege positiua. Cùm Princeps legi non sit subiectus, sed supra legem.

Contra hæc exclamat Fr. Romanus. *Non iustè defendit Sum. Pontificem Opponens, quando prorsus inusitata loquendi ratione, & absq; authoritate allata, tribuit ille duplicem, seu duas plenitudines potestatis.* Nimirum Doctor senex, non putabat sibi cum tyrone rem fore, qui nisi in textu verba expressa legisset, deducere per argumenta non valeret. Doceatur itaq;, ne semper ad pauca respiciens admiretur, & de facili enuntiet, & interim auscultet de scabello.

In c. Illa quotidiana De Electione. Quia pro certo didicimus inquit Cælestinus 3. *electionem canonicam extitisse, ipsam authoritate Apostolica duximus confirmandam supplentes de plenitudine potestatis, si quis in ea fuisset defectus* &c. En! plenitudo potestatis absoluta & supra ius, vt dicitur *c. Proposuit. De concess. Præb.* etiamsi sit dispositio Concilij Generalis. *Abb. 2. p. cons. q 1. n. 1.*

In c. Qui se scit 2. q 6. Omnium inquit Vigilius Papa *appellantium Apostolicam Sedem Episcoporum iudicia, & cunctarum maiorum negotia causarum eidem sanctæ Sedi reseruata esse liquet.* En plenitudo potestatis, independens & origo aliarum &c. de qua ibidem dicitur, Ecclesias minores vocatas in partem sollicitudinis & non in plenitudinem potestatis; hanc autem esse ordinariam, ordinatam, & conformem legibus, nemo dubitat, nisi qui ignoret, Sedem Apostolicam secundum iura & canones cognoscere.

Didicistin' Fr. Romane? Nolim tabulam tuam rasam confundere, alioqui adderem ex quorundam sensu, & tertium genus plenitudinis potestatis, quod tamen rectius reuocatur ad primum: idq; consistit in particularibus applicationibus iuris naturalis & interpretatione Iuris diuini, iuxta ea quæ Syluest. in Sum. V. Papa. n. 16. §. Quartum. Porro si Lector quæras. Vnde tam audacter pronunciet Fr. Romanus, *inusitata loquendi ratione & absq; authoritate*, tribui Summo Pontifici duplicem illam plenitudinem potestatis, ex ignorantia an præfidentia? Ex vtroq; credas capite, sed & tertium addas, Eum nimirum non studere bonis & puris authoribus, sed cuiusmodi sunt Martinus Crusius. Libri Capitulares, & id genus, apocryphi præterea, multóque magis suspectæ fidei; quamquam vel ex Erasmo, (cuius spiritu videtur esse afflatus), lib. 4. Apoph. lo. 8. discere poterat, perplures esse Doctores, qui hanc geminam potestatem, *ordinatam & absolutam* agnoscunt in Principe: etsi id non parum displiceat Erasmo iam de dubia fide notato, vt non mireris, eius patrocinio præfidere Fr. Romanum, si vt verisimile est eum legerit. V. Restaur. *De Imper.* quæst. 110. §. 294.

At insurgit Fr. Romanus. Plenitudo potestatis est ea summa potestas recte gubernandi populum Christianum, cui nihil addi potest. *c. Bene quidem, Dist. 96.* Et plenitudine ista non vtitur Papa, nisi quoniam transcendit Iura, vt tradit *Hostien. in c. Proposuit.* Ita Fr. Romanus; cuius tamen hoc loco senex Doctor castigaret oscitantiam, an ignauiam, quod nec canonem *Bene quidem,* nec *Hostiensem* in fonte viderit, sed ex tertio quodam, nimirum *Pet. And. Gammar.* neq; tamen recte recitet, vt qui *c. Proposuit,* absq; Titulo alleget, quasi in Decretalibus, vnus is, eo principio canon reperiatur. Sed nec aliàs videtur versatus in Hostiense. Huius enim summariæ notationes non sunt in *c. Proposuit*, sed in totum Tit. *De Concess. Praben. & Eccl. non vacant.* Nec dicit plenitudine ista non vti Papam, nisi quoniam transcendit Iura, sed *non esse trahendum ad consequentias quod ibi concesserat. iuxta c. Constitutus. eod. tit.*

Præterea non loquitur Hostiensis de plenitudine, de qua agitur *in C. Bene quidem, Dist. 96.* quam vel pueri norunt diuersam esse à plenitudine potestatis Pontificiæ, sed de ea, secundum quam Opponens doctè dixit: *Pontificem iure dici habere plenam potestatem in beneficijs.* Audi Hostiensem Fr. Romane. *Si promissio,* inquit, *beneficij vacantis fiat alicui, & authoritas Papæ interueniat, rata est, quia potest de iure supra ius dispensare, vt inf. eod. Proposuit,* hoc est, vt habetur in *c. Proposuit,* eiusdem scilicet Tit. in quem ipse commentabatur. Et addit Hostien. sed tamen *non est trahendum ad consequentias, vt inf. eo. constitutus.*

Ex his apparet, quàm rudi Mineruа tractet Canones Fr. Romanus, vt qui nec aduertat impropriè loqui authorem à se laudatum. *Plenitudine ista non vtitur Papa, nisi quia transcendat Iura*; alioqui sicut Papa est supra iura, ita semper vteretur huiusmodi plenitudine; itaque ea est ratio, sed quia res de qua agitur, poscit vti huiusmodi plenitudine, quæ transcendit iura. Ac vt constet Fr. Romanum Canonem illum *Bene quidem dist. 96.* aut non vidisse, aut non intellexisse, sciendum est, in eo ne verbum quidem reperiri de hac potestate, quatenus impræsentiarum loquimur, sed sermonem esse de plenitudine, vt sic dicam grammaticali, & cui nihil addi queat; de plenitudine inquam, non qua vsus est ipse summus Pontifex, sed quam ea diligentia adhibuit Romana Synodus, dum de Ecclesiasticis legibus pro tempore definiuit, *vt nihil addi posset*, & ideo collaudatur à Symmacho Pontifice.

Hæc minutioribus persecuti sumus, vt Tyronem doceremus, immodestiùs erga Doctorem senem se gerentem. Ex quo vlteriùs quæri posset, retorquendo dictum quo in Opponentem vsus est, vnde didicit plenitudinem potestatis Pontificiæ in præsenti argumento transferendorum monasteriorum, duabus tantum ex causis exerceri posse, 1. Si ordines vocati recusarent venire ad conuersionem hæreticorum. 2. Si necessitatibus Ecclesiæ occurrentibus subuenire detrectarent, nec alia via esset subleuandi huiusmodi necessitates. Qua authoritate tam absonè restringit plenitudinem potestatis, quæ est supra iura; quasi vero si alterum horum contingat, summa potestas quærenda sit, & non sufficiat quæuis ordinaria ad expellendos, seu amouendos loco, recusantes.

Pag. 161. §. Sed insuper.

PRoducit fragmentum Bullæ Concordatorum Nicolai V. cum Natione Germanica, & aliud ex Benedicti XII. *Extrau. Ad regimen de Præb. & Dignit.* quæ tota inserta est Bullæ Nicolai V. In ijs duo videntur facere à re Fr. Romani. Alterum quod Benedictus P. velit, Ad regimen quarumlibet Ecclesiarum, Monasteriorum & alia beneficia Ecclesiastica, assumendos esse *viros idoneos qui præsint & prosint committendis eis Ecclesijs, Monasterijs, & beneficijs prælibatis.* Aliud quod Nicolao P. placet, vt in Monasterijs immediate subiectis fiant electiones &c. *quæ si Canonicæ fuerint, eas confirmabimus*, inquit, &c. *Ceteris vero dignitatibus & beneficiis quibuscunque Secularibus & Regularibus vacaturis* &c. *iure ordinario prouideatur per illos, ad quos pertinet.* Quæ postrema ceu mysterij plena Fr. Romanus & in margine signat, & in contextu magnam partem literis mainsculis exscribit.

Ex his autem ita argumentatur. *Prouisio Monasteriorum Germaniæ tam exemptorum mediatorum, quam non exemptorum quomodocunque vacantium non ad Papam, sed ad inferiores Ordinarios, quibus prouidere incumbit, etiam iure transactionis specialis est deuoluta. Ergo Pontifex Ordinariis hoc ius dispositionis actiua, & consequenter Ordinibus antiquis ius dispositionis passiua, cum altero illo actiuo, velut suo correlatiuo, necessario coniunctum, nisi in casu grauissima & nondum demonstrata necessitatis, auferre non potest.*

Ita Fr. Romanus. Sed vereor, ne ex dubio, vel falso antecedente, dubium etiam & falsam inferat consequentiam. Concordata de monasterijs exemptis prouidendis per inferiores ordinarios nihil habent, immo potius contrarium permittendo quidem Electiones collegio, sed confirmationem Pontifici reseruando, vt vel confirmet, si canonicæ fuerint, vel infirmet, si minus canonicæ. Cui exceptioni robur sufficit, quod de monasterijs monialium dicitur, *Nihil disponemus, nisi sint exempta.* Sed neque apparet, quid correlatiui inter ordinarios & ordines Antiquos, cum hic non agatur de monasterijs & beneficijs extinctis, sed tantum de vacantibus & vacaturis per mortem superiorũ, aut obtinentium, ad quæ assumi iubentur *viri idonei, qui præsint & prosint,* quicunque tandem illi sint, vt proinde ius dispositionis actiuæ in ordinarijs non respiciat ordines antiquos singillatim, aut collectim, sed indefinitè, vel absolutè *quoscunque idoneos.*

At quamuis ita esset, quemadmodum Fr. Romanus ponit. Nihil obstat prædicta transactio, quo minus iustis de causis cessare interdum queant eiusmodi electiones &c. per translationes, & applicationes authoritate Apostolica faciendas. Maiorem quippe reseruauit sibi potestatem Papa, quàm concesserit eligentibus *c. Dudum De Præb.* nec potest eius summa potestas per inferiorem possideri. *Abb. in thes. sing. decis.* nec vnquam ob qualemcunque transactionem aut contractum ita iuri suo cedit, quin ob graues & euidentes causas possit idem resumere. *Arg. l. Si quis in rem §. Voto ff. de Pollic.* Vnde & *Senatusc. Maced.* cauit, ne in quibusdam contractus obligaret *ff. Quod cum in eo qui in alien.* Per tot. An vero in præsenti statu militent eiusmodi graues causæ, ob quas cessare debeant Electiones, & alia iura, non est cognoscere Fr. Romani Hay, sed Sedis Apostolicæ; quocunque enim modo fiant concordata, semper *publica vtilitas, & necessitas habetur* excepta. *Arg. c. Venien.*

Venientes. De iureiur. Annon etiam contrahunt Episcopi cum sua Ecclesia Matrimoniũ spirituale? *c. Inter corporalem De Translat. Et c. Nisi cum pridem.* Et tamen possunt Episcopi transferri ex vna Ecclesia ad aliam *c. Scias.* Et *c. mutationes 7. q. 1. c. Quanto. De Translat.*

Quod autem per *Viros idoneos* Fr. Romanus intelligat eos, qui iuxta Fundationes qualificati & habiles sunt; è genio suo facit. Canones nihil quod hùc spectat, loquuntur de Fundationibus. Glossa, quam idem allegat. *in c. Constitutus. de Conceß. præb.* vna cum textu, tantum meminit personæ *idoneæ & canonicè* eligendæ. Rebuffus Tract. nominat. q. 18. n. 12. loquitur de persona habente qualitatem requisitam in beneficio, idque ratione ætatis, vt *patet ex c. Et cui. De præb. in 6.* Magis ad propositum allegasset Fr. Romanus *c. Is cui. De præb. Vel. c. Causam quæ. De Electione.* Atque hæc in gratiam Fr. Romani; alioqui verbo responderi poterat Concordata Germaniæ, non agere de monasterijs extinctis aut recuperandis aut quorum iura sopita sunt, sed de vacantibus aut vacaturis quatenus earum collatio ex iuris forma fieri consueuit, iuxta supra dicta ex Concil. Trid. Sess. 14. c. 10.

Pag. 166. num. 7. §. Dicit Oppositor.

Dicit Oppositor, quòd Pontifex Romanus Concordatis Germaniæ circa beneficia ordinariè derogare non poßit. &c. Fatetur autem alibi (nempe pag. 364. 365.) per huiusmodi translationem, (cum videlicet extraordinaria neceßitas Ecclesiæ postulat) auferri quippiam à iurisdictione Episcopali confirmata per concordata Germaniæ. Quamuis addat volentibus non fieri iniuriam. Quando ergo in alijs locis asserit teneri Sum. Pontificem & Cæsarem sub graui obligatione in conscientia, vt ex bonis Monasteriorum restituendorum, erigantur Academiæ, Seminaria &c. quid aliud intendit, quàm teneri eos in conscientia sub graui reatu ad extinguenda multa monasteria ordinum antiquorum, ad derogandũ iuri communi, Iurisdictioni Ordinariorum, concordatis, adeoq; Iuri naturali & Gentium &c.

Ita ferè Fr. Romanus. Quoad primam partem semel rectè. Quoad secundam. *Per huiusmodi translationem auferri quippiam à Iurisdictione Episcopali confirmata per concordata* &c. nec verè, nec Theologicè. Opponens quippe non dicit à *Iurisdictione Episcopali*, sed à *Iurisdictione Episcoporum*, quod longe diuersum est; neque addit, *confirmata per concordata Germaniæ*, cum non sit Concordatorum Iurisdictionem Episcopalem confirmare, sed altioris fori: denique non dixit, *Volenti tantùm non fieri iniuriam*, sed *volenti & petenti*; ostenderat enim, (*fol. 364. §. Tertiò*) Episcopos non solum non repugnasse, sed vltro in translationes consensisse, easque ob publicum Germaniæ & Religionis Catholicæ bonum exoptasse, imò etiam aliquos in eadem causa Sedi Apostolicæ & Maiestati Cæsareæ in fauorem Patrum Societatis, istis non petentibus, supplicasse: Quæ omnia Fr. Romanus omisit, ne calumnijs suis præstrueret.

Tandem, quoad tertiam partem Fr. Romanus suspicionem ingerit, se non fideliter agere; neq; enim signat locum, vbi Opponens dixerit, *Summum Pontificem & Cæsarem sub graui obligatione in conscientia teneri* &c. Sed fac ita esse, vnde colligit, exorbitantem illam consequentiam. *Quid obsecro aliud dicere intendit*, (puta Opponens) *quàm Pontificem & Cæsarem in conscientia sub graui reatu obligari ad*

extin-

extinguenda multa Monasteria &c. Pudeat Theologum adeò rudem Dialecticæ; Rideant pueri vel prima rudimenta addiscentes huiusmodi consequentiam: Detestentur omnes viri graues, tam impudentem calumniam. Opponens dicit, *Pontificem & Cæsarem sub graui obligatione in conscientia teneri ad erigenda ex bonis Monasteriorum extinctorum seminaria,* &c. *ergo intendit in conscientia sub graui reatu teneri ad extinguenda Monasteria, ad derogandum Iuri naturali* &c. Similiter dixerit quispiam. *Tenetur Episcopus res Ecclesiæ alienare vt subueniat pauperibus & redimendis è captiuitate 12.q.2. Apostolica. Et sequentib. ergo in eo casu tenetur Episcopus Sacrilegium committere.* Quis hanc inscitiam non rideat?

Pag. 170. 171. 172. à Num. 11. Restat.

DEclarat suam sententiam Fr. Romanus, de Potestate Summi Pontificis in bona Ecclesiastica, non tamen explicat; an quia ex arte dissimulat? quo pacto cum dictis hoc loco cur stare queat, Imperatorem esse supremum Iudicem in causis Ecclesiasticis; Non esse causas sufficientes, præter duas, quæ Pontificem mouere queāt ad agendum ex plenitudine potestatis circa bona ordinum; Translationes Pontificias de facto super arenam fundari, & id genus plura? Quæri etiam posset, cur authoritatem Pontificiam sugillet venenato ex dictis S. Bernardi ad Eugenium aculeo; & non semel ludicrè eam vellicet, tametsi adhibito protestationis artificiosæ prætextu: quod est genibus flexis dicere, *Aue Rabbi,* & colaphis percutere.

Ridiculum verò est hoc loco, ex Opponentis doctrina promere, Summi Pontificis liberam & absolutam circa beneficia disponendi facultatem, extrinsecè limitari propter specialia nationis Concordata, quæ vim pacti habent &c. Et nihilominus eundem continuò impugnare, quod vim inferat Concordatis. Hoc enim est Fr. Romanum non sibi constare, nec esse præsentem. Præterea ex eiusdem Opponentis placitis deducere, si Summus Pontifex contra Concordata Germaniæ quicquam disponere vellet, *tamdiu se opponere possent, quamdiu Ecclesiæ vniuersali, vel particulari nullum euidens damnum, aut absurdum ex obseruantia Concordatorum sequi rationabiliter timeretur.* Si enim hæc est doctrina Opponentis, cur in eum vbiq; temere debacchatur, tanquam violatorem Concordatorum? hoc enim est ludere ad ahenam muscam, & nescire, quò collimet.

Sed nimirum placuit Fr. Romano, ex prædicta doctrina inferre, quæ Opponenti nunquam in mentem venissent. Vnde enimuero sequitur, in solo illo casu, vt putat Fr. Romanus, posse contra Concordata agere Summum Pontificem? Scilicet haud ante, quàm cælum ruat; hoc enim est illudere potestati, quam paulò antea dolose adulando asserebat, nempe ad eum solum euentum vix imaginabilem, eam coarctare. Bene tamen addit Fr. Romanus *saluo meliori iudicio*; hoc enimuero eius iudicium nec saluum, nec sanum est. At saltem recordari debuisset, quod paulo primùm dixerat, nimirum *pag. 171. §. specialiter, Posse Pontificem per plenitudinem potestatis vnum vel plura* (Monasteria) *imo totum ordinem ex rationabili causa mutare, transferre* &c. Et rursum in transactione nunquam ita iuri suo renunciare, quin ob vrgentes causas & necessitates Ecclesiæ manifestas, possit idem resumere. Sed nimirum hoc est satyram agere, modo calidum, modo frigidum flare.

Iam quod addit, quasi classicum canendo, *Hæc est mens & sententia Ordinum antiquorum de potestate Pontificia, quam etiam porrò ad sanguinem vsq; defendere pro vi-*

pro viribus adlaborabunt: nimirum vt Imperator & Principes vi Concordatorum se opponant vsq; ad sanguinem, nec vnquam obediant, donec solus & vnicus ille casus, de quo supra, occurrat; videtur ipse primus tam insignis expeditionis vexillum extollere, gloriosus puta miles, ex eorum progenie, de quibus inter alios Hieronymus Zieglerus *Illust. Viror. Germ. c. 12.* scribit, à natura loquendo promptiores esse, gloriabundos, nihil extimescere solitos, nisi ne cælum aliquando in se ruat.

Pag. 176. Num. 2.3.4.

CÆsar pronunciat *Monasteria esse reddenda, personis iuxta fundationem qualificatis non qualificandis. At Opponens vltro fatetur Patres Societatis iuxta fundationem non esse qualificatos, sed primum qualificandos per accessum Pontificiæ & Cæsareæ authoritatis, quasi accedat, iuxta fundationem legitime vocatos & qualificatos fore indubitate affirmat, & oppositum sine errore nõ posse dici pronunciat fol. 371.*

Hinc inquit Fr. Romanus sequitur, *omnes omnino fideles iuxta fundationem cuiuscunq; Monasterij* &c. *esse vtiles, legitime vocatos & qualificatos, supposito nimirum consensu dictorum Principum, atq; adeò infantes, pueros vtriusq; sexus, & ipsos hæreticos prædicantes, eorumq; genimina; Imo Turcas, Iudæos, si fidem amplectantur* &c.

Ita Theologus Ochsenhusianus acumine verè pumice digno, vt qui in infantibus & pueris vtriusq; sexus &c. eam à doctrina, studijs, & literarum exercitijs, sacerdotio, prædicandi munere, habilitatem ponat, qua dotati sunt Iesuitæ, alijque id genus operarij. Scilicet non solus Lutherus, sed etiam Fr. Romanus Hay feminas Sacerdotes nasci affirmat; imo subtiliùs, Turcas & Iudæos, dum fidem amplectantur, illico, doctos, prædicatores, sacerdotes. Quot modis luberet hic plectere linguam ineruditam, & in plures leges non vno errore offendentem, sed parcendum natiuæ lubricitati & mitius agendum.

Quæro ergo inprimis ex hoc Theologo, qui sint illi habiles & qualificati iuxta fundationem vocati? An qui habitum tantùm Antiquorum ordinum deferunt? At cucullа sola non facit monachum, *c. Porrectum De regular.* alioqui vt nihil dicamus de baiulo Isidis, & Sileni vectore, infantes, pueri vtriusq; sexus, dum cucullas induant, illico idonei erunt, qui iuxta Extrau. Ad Regimen, *præsint & prosint Monasterijs.* Multo magis feminæ maturæ, vt regant Monasteria virorum ex positione Fr. Romani. *Quin & Turcæ & Iudæi, Abbates idonei.*

An qui eiusdem professionis censentur? Sed hæc professio si respicit tria substantialia vota cuiuslibet approbatæ Religionis, quæ sunt Paupertas, Castitas, Obedientia. *c. cum ad Monasterium. De Stat. Monach. Abbas in Rubr. De regul.* paucos admodum feret habiles, quando Fr. Romanus videtur exigere votum virginitatis, non castitatis, vt in hoc discernat ordines antiquos ab Instituto Iesuitarum. Nisi plerunque assumantur Moniales ad regimen Monasteriorum virorum, illæ scilicet quæ velo suscepto quadraginta annorum virginitatem probauerint. Proinde pauci admodum erunt idonei, & limitanda præter modum erunt Concordata.

An qui stabilitatem in eodem loco perpetuam voto susceperunt? eoq; filij huius, & non alterius Monasterij censentur? At enim in recuperandis Monasterijs qui stabilitatem vouerunt, fere à seculo desiderantur; ceteri eiusdem ordinis postea admissi, in ijs durare debent, in quibus sunt professi, ideoq; ad reliqua Monasteria minus idonei; Sed neque si principijs Fr. Romani insistendum est, mitti à superioribus suis

possunt,

possunt, qui cum locales sint, disponere circa statum alterius Monasterij nihil possunt. 21. q. 1. *Clericus*. Quare nisi nouo iure qualificentur, respectu Monasteriorum restituendorum, habentur tanquam si non essent, nedum vt habiles & idonei dici queant.

An deniq; ij censentur iuxta fundationem qualificati, qui scilicet eandem seruant Regulam, vel S. Benedicti, vel S. Basilij, vel S. Augustini 18. *q*. 2. *Perniciosam*. Sed hic recurrit ludus in Fr. Romanum. Illi enim propriè dicuntur habere Regulã, vt docet Abbas *in Rubr. De Regular.* qui profitentur tria substantialia cuiuslibet religionis approbatæ, Paupertatem, Castitatem, Obedientiam, Castitati vero, cum Fr. Romanus contra distinguat virginitatem, quam sui vouent, vt ipse videtur affirmare, nescio an omnes Regulam seruent, vt verisimile non sit, ad hos tantum respexisse Fundatores. Proinde extendenda est intentio ad omnes, non solum qui tria vota substantialia, de more in Ecclesia consueto, emittunt, verum etiam ad eos qui vel vno ex his voto, vel etiam promissione, quocunq; modo se superiori obstringunt; nam & hi comprehenduntur in dispositione fauorabili, vt notat Abbas *in loco citato*. In his vero, cùm (ad stuporem opinor Fr. Romani) expresse idem Abbas nominet *IESVITAS*, nondum stricta appellatione regulares, quid dicendum de ijs qui hodie præter illa substantialia, quartum etiã votum emittunt obedientię Summo Pontifici, ad missiones quascunq; obeundas, quorum illi, ex obedientia duntaxat in fauorabilibus censiti Regulares, figuram gessisse dici queant, vtputa obedientiam in summo profitentium. Nonne vel ad hos solos spectasse Fundatores ex sententia quispiam opinetur? obriguit.

Sed vt recta pergamus. Inspiciendæ sunt tabulæ & instrumenta Fundationum, an latam admittant interpretationem, an potius sua vota restringant, non tam ad ordines sub regula viuentes vniuersim, quam in loco singulari profitentes. Si enim hoc posterius comprobetur, frustra contendunt professi huius loci ad alia migrare, tum quia non sunt successores priorum, sed extranei, quibus nihil debetur, nisi sint instituti. *Bart in L. Si certarum, §. si eodem. ff. De milit. Test.* Et *in L. Seius & Augerius ff. Ad L. Falcid. Bald. & Imol. in. L. si Paterfam. ff. De Hered. instit. Et Bart. ibid. n.* 13. Non autem est præsumendum, quòd sint instituti nisi Instrumenta clarè id loquantur. Tum quia non possunt transire, nisi deserto priori Monasterio fiant filij posteriorum, quòd sine noua qualificatione fieri non potest; debent quippe relinquere ius quæsitum in prioribus, in quibus sunt professi ad portiones priuilegiatas & qualemcunq; canoniam, vt possint habere ius ad easdem in posterioribus: neque enim possunt esse filij plurium Monasteriorum, sicut nec vnus Abbas potest esse plurium, vt diximus. De proportionalibus enim idem est iudicium. *L. Si quemq; C. de Episc. & Cler. L. sufficit ff. de condit indeb.* Tum deniq; quia non possunt mitti nisi ab habentibus authoritatem, & cum nullus Abbas habeat iurisdictionem in vllum ex ijs Monasterijs, *Arg. q. 1. Clericus*, non potest mittere vllum vel volentem, multoq; minus nolentem, quia non potest cogere Monachum huius loci professum, ad relinquendum ius quæsitum in hoc Monasterio. *Arg. c. 1. 13. q. 1. cap. Satis peruersum Dist. 56. & c. Iuuenum 16. q. 7. L. Illud. ff. Ad L. Aquil.* Sed neq; simul omnes Abbates vel congregatio tota eiusdem ordinis potest mittere, vel si spectetur ius nouum, *c. In singulis & c. ea quæ De Stat. Monach.* vbi nihil de hac re cautum: dico si spectetur ius nouum; nam iure antiquo non faciebant vnam congregationem, neq; vnum corpus multa Monasteria, sed singula singulariter subiacebant Episcopis, *cap. 1. & c. si quis Abbas, & cap. Abbates 18. q. 2.*

 Quod

Quod si prius dicatur, Instrumenta nimirum Fundationum respicere omnes qui Regulam S. Benedicti profitentur, vereor ne admodum parum prætendere queant ij, quibus Fr. Romanus restituta vellet Monasteria. Vt enim alios mittamus, ex hoc capite non minus iuris oritur Ordini Basiliano, quam cuiuis in Germania proximo quando S. Benedictus non paucorum sententia Regulam suam Basilio acceptam refert. *c. 73. Regul. Bened.*

Restat ergo Fundatorum intentionem non aliam initio fuisse, quàm vt sua bona conferrent ijs, qui diuino cultui mancipati religionem amplificarent, & ad altaria pro suis suorumq; manibus Diuinam clementiam piè exorarent, & vniuersim pro re Christiana perpetuo intercederent. Vnde contingenter se habet ad dictam intentionem, quod tam ordines antiqui extiterint, nec inde plus iuris illis accrescit, quàm tribuit ipsa antiquitatis veneratio. *L. Vlt. ff. De aqua plu. arcen.* Ex quo tamen non sequitur, quin iustis de causis, ad quos spectat, aliter atque aliter interpretari queant, atq; etiam commutare, imo vt Fr. Romano placet, mutare voluntatem Fundatorum, de quibus semper præsumendum est, voluisse adimpleri vota sua, quo meliori possent modo, tametsi verbis non expresserint. *Bart. L. Pediculis, §. Item cum quæreretur De aur. & argent. Lega.* Nec dubium, quin si cogitassent perituras aliquando suas fundationes, nec in locis fundationum obeunda multo tempore munera, quæ ipsi iniunxissent; aliquando vero ventura tempora, quibus recuperata bona, melius conferentur conferenda viris, qui & pro animabus illorum æque bene vota facturi essent & plura commoda vniuersæ Reipublicæ Christianæ allaturi, quorum fructus in sortem illorum in cælis redundarent: non dubium inquam, quin si hæc cogitassent, ita verisimiliter disposuissent. Arg. *L. Pon. ff. De Iur. Cod. & l. ult. ff. de Hered Instit. L. Titius, §. Lucius Titius ff. De lib. & posth. L. Iam hoc iure ff. de Vulg. & pupil. substit.*

Atq; ex his apparet rectè pronunciasse Opponentem. Iuxta fundationem legitime vocatos & qualificatos fore Patres Societatis, si Summus Pontifex Cæsare consentiente vnum seu plura Monasteria illis assignaret. Contra vero errasse Fr. Romanum *pag. 177. n. 4. §. Etiamsi,* dicendo, Etiamsi Sedes Apostolica Monasteria aliquot eiusmodi hominibus assignaret, non inde sequeretur quod essent vtiles iuxta fundationem, sed iuxta fundationis mutationem siue translationem.

Pag 178. num. 7.

DIxerat Opponens. *Falsum esse & Ecclesiæ consuetudini repugnans, si alicubi Ordo S. Benedicti aut S Francisci institutus est, Cæsarem iuramento obligatum esse vt inuiolabiliter ibi permaneat.*

Ita Fr. Romanus, & addit *Atrox hoc dictum, quodq; omnibus Hæreticis non immerito iubilum, Religiosis autem lacrymas elicint.* Sed enim facile erat amputare occasionem & Hæreticis iubilandi, & sibi lacrymandi; si reliqua Opponentis dicta non præteriuisset Fr. Romanus. *Cum plures nimirum causæ occurrere possint, cur mutatio & translatio per legitimam Ecclesiæ authoritatem instituatur, prout sæpissime factum esse constat, Cæsare aliisq; principibus nequaquam se opponentibus, sed quandoq; etiam translationem procurantibus.* Ita Opponens, quæ tamen omisit Fr. Romanus, vt arte solita grauaret nomen Opponentis. At ego vlterius quæro an eodem iuramento teneatur Imperator, si contingat fratres enormiter viuere, interdum & incorrigibiles euadere. Quid ad hoc Fr. Romane?

Porro si dictum Opponentis atrox videtur Fr. Romane, factum ipsum Cæsaris & Principum longe profecto atrocissimum erit, vt mirum sit cur ipsi non iam lacrymas sed cerebrum non excusserit. Nec dubito sæpius ipsum Deo volente in posterum lacrymaturum. Sed viderit quæso ne tam Catholicis quàm Acatholicis risum moueat, si lacrymæ sint quales prohibentur. *De Pænit. dist.* 3. *Sunt plures.* Equidem in tali mærore posito, optarem Lacrymam Neapolitanam.

Pag. 179. Col. 2.

IMperator ex *fundatorum & communi sensu fidelium est fides commissarius vniuersalis pie legatorum. Quare lege diuina & naturali obligatus est tam fundatoribus quam ijs in quorum emolumentum bona monasteriorum relicta sunt, ab ijs nõ alienare, quam vt illorum voluntate permitti probabiliter possit.*

Ita Fr. Romanus. Verum inspicienda sunt instrumenta fundationum, vt appareat, quibus verbis seu signis, institutus sit Imperator eiusmodi Fidei commissarius. De sensu fidelium non constat, quando nec in iuribus quicquam apparet, Multa Imperator constituit circa Ecclesias, de quibus extant Tituli *in Cod. & Authent.* Varia etiam sunt vocabula prærogatiuarum siue in Iure, siue in Iuriscons. interpretatione, vt dicatur Dominus Mundi quoad Iurisd. Vicarius Dei, Legatus, Proconsul, nimirum in temporalibus. Præterea aduocatus Ecclesiæ, Patronus, Defensor, Protector &c. quæ omnia colligunt Restaur. in Tr. *de Imperat. Franc. Zoanettus lib. de Roman. Imper. & alij.* At fidei commissarium vniuersalem pie legatorum hactenus non obseruaui, sicut neque supremum Iudicem in causis Ecclesiasticis.

Gratulor tamen Cæsareæ Maiestati nouum ius assertum. Proinde moneo, meminerit repetundarum pro Monasterijs olim alienatis, vel etiam cum culpa desertis, meminerit pretium repetere à superstitibus qui heredes videri volunt iuxta *L. Si fundum per fideicom. ff. de Leg.* 1. Meminerit se in effectu quodammodo heredem esse. l. *Si filiusfam.* §. *Quod cum eo qui in alien. L.* 1. *C. Quando & quib. quarta pars.* Proinde posse de recuperatis pro arbitrio disponere. Est enim heres *Bald. in L. Cum virum. col. vlt. C. De fideicom.* Et friuolum est, quod subnectit Fr. Romanus, de voluntate permittendi ordinum antiquorum. Neque enim hic dominatur voluntas Ordinum, & Fundatorum. *Arg. L. Cum quæstio. C. De Legat.* Imò tenentur antiqui ordines Imperatori relinquere omnia, vt nec Trebellianicam deducere possint. *L. Alienationis ff. de verb. signif.* Nec vllum interdictum obstabit, quo minus de cetero plura ei circa hanc dispositionem competant ex plenitudine potestatis. Quid ni enim si præterea Iudex sit, poterit interpretari voluntatem Fundatorum, *L. Voluntatis C. de fidei com. Bald. in cons.* 129. *cir. m. d. Vol* 1. Et multo magis cum Princeps sit, adeoque supra alios iudices. §. *Vlt. Ruth. de Consu. lib. Bald. in L.* Cum *apud* num. 1. in fin. *C. De com. ser. man.*

Atque hæc dicta sint iuxta peritiam Fr. Romani, qui cum Fundationes obnoxias Facit fidei commissario vniuersali, non veretur tamen alia ex parte ministrum & merum procuratorem facere Imperatorem, vt qui non possit alienare, nisi quantum permittit voluntas antiquorum Ordinum. Quid ni enim si heres est. L. *cum pater.* §. *Mando. De Legat.* Ita sanè omnem euitabit caducitatem, vndecunque ortam: nec valebunt in hoc casu comminationes & execrationes Fundatorũ

de non alienando: quæ tamen militant aduersùs summum Pontificem, eorum bona pro re & tempore meliores vsus conuertentem. Ridete, quibus diaphragma sanum.

Pag. 184. Num. 19.

OBijcit Fr. Romanus, quod Opponens dixerat *in Proœm. n 27. Ferdinandum II. mandando restitutionem pro antiquis Ordinibus, Sedis Apostolicæ authoritatem, eiusdemque iura imminuere, Ecclesiasticas causas ad forum suum trahere, & Romano Pontifici leges præscribere, Ecclesiasticamq; immunitatem lædere videri.*

Ita Fr. Romanus, sed Opponens verba illa *mandando restitutionem pro antiquis Ordinibus* non habet. Nec dicit Sedis Apostolicæ authoritatem &c. videri imminuere, vel lædere, sed *ne videatur imminuere*, si in ea re faciat aliquid inconsulto Pontifice. Quod amplius dicit Fr. Romanus à malo est, & ingenio suo agit, vt habeat quod reponat, siue ad rem, siue secùs. Vnde quicquid longa verbositate aggerit, nempe *spoliatum restituere, Fidei commissum reddere familiæ, ius suum cuiq; tribuere, sacrorum Canonum obseruantiam manutenere* &c. *non est Ecclesiasticam immunitatem lædere. &c.* hæc, inquam, & id genus friuola, sunt gerris & nugis Siculis vaniora.

Quæ enim hic spoliati restitutio? cum nemo spolietur re, qua semper extitit nudus. *L. Non potest videri.* Et *L. non videtur rem, ff. De reg. Iur.* Et ita respondit aliquando Paschalis Henrico III. Angl. Regi. *Polyd. lib. 2. Anglic.* Quæ hic fidei commissaria hereditas, vt reddatur familiæ? vbi familia nominata? Fac esse: nonne iam extincta? nisi à seculo supersint, qui primis legitime succedant ex nominatione? at horum vix auditur memoria. Vnde verò constat ad eos, qui hodie viuunt eiusdem ordinis, in diuersis monasterijs, Fundatores speciatim extendisse voluntatem suam, vt deriuari ad eos tale fidei commissum posset? *L. cum ita legatur. §. In fidei commisso ff. D. Legat.* 2.

Quæ præterea iuris assertio, quo Antiquis Ordinibus tanquam suum tribuatur? vnde id iuris oritur? quæ actio inde competit? in rem, an in personam? quid enim rei suæ petunt, ad quam nec postliminium habent, siue intercessione intercisa, siue culpa. *L. Postliminium* Et *L. Postliminij ff. De capt. & post. l. reus. L. Si quos, C. De Postlim.* Vnde non nisi per nouum consensum foret præstandum. *L. Cùdua ff. De Capt.* Quis item eis obligatur, vt in eum detur actio? Num Cæsar? ex quo contractu? iure proprio? Nihil hic Concordata. Nihil fidei commissum, vt vidimus. Num quia iudex? profectò pro dignitate & honore Ecclesiæ, vel in propria causa *c. Romana, de Pænis*; abiudicabit, & de Seminarijs & Collegijs prouidebit.

Quæ denique Sacrorum Canonum manutentio? oportebat hic Fr. Romane ostendere, qui sacri canones sint, qui iubeant Imperatorem esse supremum Iudicem in restituendis monasterijs, & fidei commissarium vniuersalem legatorū piorum; vt qui paulo ante obiecisti Opponenti, ne vnum quidem canonem ab eo produci, quem violatum dicat: Dixerat enimuerò *sacros canones atque potestatem Ecclesiasticam non parum labefactari, si inconsulto Pontifice quicquam circa monasteria disposuisset.* Qui inquam, hoc eidem obiecisti, debebas hic, si non

aliud,

aliud, ostendere è diuerso, qui sint sacri canones, quos pro loco in re tua obseruet Imperator.

Ego enim, vt interim taceam, quibus rebus sacros canones non parum labefactari dixerit Opponens, insinuabo tibi, quibus ostenditur Maiestatem Imperatoriam nihil iure suo posse in causis Ecclesiasticis. Vt ergo scias reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo; Disce Imperatorem esse aduocatum & defensorem Ecclesiæ. *Dist. 97. Ecclesia mea.* Et ideo debere fidelitatem iurare Papæ & bona Ecclesiæ defendere *Dist. 63. Tibi Domino.* Non ideo tamé esse Principem, seu Præsulem Ecclesiæ, *Dist. 96. Si Imperator.* Nec licere ei quicquam decernere de rebus Ecclesiasticis, *Dist. 96. Constantinus.* Nec vsurpare Iura Pontificatus. *Dist. 96. Cum ad verum.* Debere pendere ex iudicio Papæ, *Dist. 50. Domino sancto.* Nec illius iudicio posse iura Ecclesiastica dissolui, *Dist. 10. Per totum.* Nec denique, vt infinita mittam, posse ab eo peti cognitionem publicorum iudiciorum Clericorum. *11. q. 1. Placuit vt quæcunq;.* Et *25. quæst. 5. Si quis à proprio.* Quæ omnia tam religiose hactenus obseruarunt plerique pij, maxime sanguinis Austriaci Imperatores, quàm tu illis temerè adulando affingis, quæ ipsi nolunt.

En Fr. Romane, quot Canones pro Opponente; cuius tamen verba tu more tuo truncas; neque enim in loco, quem notas, dixit, *sacros Canones atq; Ecclesiasticam immunitatem labefactari quocunq; modo*, sed *libellis famosis, cuiusmodi prodierant*, antequam hoc tuum Astrum cæcum apparuisset; cautè tamen præoccupasti ne illo prodereris. Ridiculus verò es, cum Imperatoriam authoritatem inde tueris, quod etiam Iudex secularis possit officium suum impendere, vt legata pia executioni mandentur, *Ex Abb. c. Nos quidem. De Testam. n. 5.* hûc scilicet ex tua iuris tractandi peritia deuenisti, vt quem *Iudicem supremum* constitueras, & paulò ante, *fidei commissarium vniuersalem* nominasti, nunc demum executorem legatorum piorum, & inferiorum magistratuum Accensum facias: quorum munus Imperator *Auth. de sacros. Eccl. §. Si quis ædificationem*, vnde doctrinam deprompsit Abbas, ministris demandat ab Episcopo corrigendis, & si videatur amouendis: hoc enimuero est Imperatorem è Tribunali deturbare, & sceptrum è manibus illius excutere, quod tu insulsè Opponenti ingerebas, nempe inter apparitores numerare.

Vbi ergo odiosa & impertinens illa garrulitas *pag. 191. §. Præterea.* Vbi, cum multa falsa misces, ne Sedi Apostolicæ insidiari videaris, reapse tamen dolosè & sophisticè moliris, vel hac nota, quod inter alia Foreri Iesuitæ Ecclesiasticam iurisdictionem defendentis verba, non fideliter vsurpas: ille enim *decisionem & declarationem* in huiusmodi iunctim ad Ecclesiam spectare dicit, tu *decisionem* mittis, & tantum *declarationem* assumis, vt inde calumnias adstruas. Id ipsum facis *pag. 193. §. Alia inquiunt.* Scilicet more tuo.

Plura quæ addis de Iuramento, Concordatis Germaniæ, Obligatione Iuris diuini &c. sunt nugæ & deliria. Quid enim Iuramenti præstitit Imperator de non conferendis recuperatis Monasterijs annuente summo Pontifice, seu applicandis ad meliores vsus? Quin si præstitisset, rescindendum esset *c. Quæ contra. Dist. 8. Decius Cons. 72. n. 2. Lib. 1. Zoaner. Repet. in L. Vt vim. in 3. part. ff. de Iust. & Iur.*

Pag. 186.

Pag. 186. Col. 2.

ADducit fragmentum literarum Principis Sauelli Oratoris Cæsarei Romæ, quas ad ipsum Cæsarem patria lingua dedit. 26. *Ian.* 1630. *Non lascio soggiongere à V. M. C. che questi ministri in hamo assicurato, che stante la sopradetta istanza fatta per parte di V. M. C., intorno a i beni Ecclesiastici di Germania, non si concederanno mai ad alcuno in Commenda, ne saranno mai grauati d'alcuna sorte di pensione &c.* Hic exclamat Fr. Romanus, *insigni iterum impostura lectorem idiomatis ignarum circumuenire voluisse Opponentem, quippe qui omnia quæ de reiectis & negatis Romæ commendis & pensionibus narrantur, omiserit* &c. *In ea re tota egregie imitatus Deckerium, qui vt sua firmaret textum S. Scripturæ sæpe, vt vitiosum, correxit, vt inquit Card. Baron. à nobis quæst. 1. num. 23. ad 6. allegat⁹.*

Ita Fr. Romanus nesciasmaiori inertia, an impudentia; Non enim potest censeri dolo omissum, quod ad rem non facit, nec causam meliori aut deteriori loco ponit, proinde non ideo quis negat quia tacet. *L. Qui tacet. ff. de Reg. Iur.* Et *c. Is qui. eod.* Si tamen dolus hic reputandus, quæro an is culpandus magis, qui cuius accusatur non fecisse, aliqua ratione fecit, an qui nulla ratione fecit ac prorsus omisit? An rursum is in noxam doli vocandus, qui rem cuius maxime interest meminisse, prætermisit, vt hoc magis, & aduersario & lectori imponeret?

Applicemus singula. Opponens Epistolam Principis Sauelli Italicè integram dedit. Latine reddens, partem, quæ de commendis & pensionibus loquebatur, omisit, neque enim de his conferendis, vel imponendis, sed de Monasterijs & alijs beneficijs ad collegia & seminaria applicandis agebatur; ideo quæ hæc concernebant, ex verbo latina fecit, vnaque & in Italicis sincerus & in Latinis castus fuit, vt nemo esset tam Italicæ ignarus, quin visis vtrisque, prudentiam, necessaria, non superflua sectantem, citraque dolum, collaudaret.

At heus Fr. Romane. Cur tu cetera Latine descripta & in quibus Cardo rei versabatur, prætermisisti? an quia Italicis intentus Latinè non intellexisti? scilicet non Latinè, sed accusatoriè agere voluisti: *Turpe est Doctori* inquit Cato, *cum culpa redarguit ipsum*; & præstaret tacere, quàm quæ retorqueri possunt effutire. *L. Expressa nocent. ff. De regul. Iur. Euerhard. in praamb. num.* 19. Ac vt in te dolum hærere agnoscas, audi Latinam Opponentis in loco præsenti versionem. Postquam nimirum integram Oratoris Cæsarei epistolam Italice descripsisset.

Non intermitto quin subiungam, quod Officiales Romani responderunt: Circa restitutionem bonorum Ecclesiasticorum, in Germania faciendam, Ordinibus primis posse se habere dubium, an non futura sint in contrariū difficultates. Quin præterquam quod de illis ipsis monasterijs & alijs Ecclesiasticis beneficijs, poterunt fundari & erigi Seminaria, quæ maiori erunt emolumento Catholicæ religioni, aiunt, se reperisse, multa illorum, priusquam essent occupata ab Hæreticis, non fuisse vnita & incorporata cuiquam Religiosorum Ordini, sed gubernata per se. In quo casu si applicentur ordinibus, qui ea prætendunt, non restituentur, sed donabuntur.

Hæc sunt quæ te torquent Fr. Romane, & quæ sola, ceteris missis, necessaria videbantur. Addit & quædam alia ex iisdem literis Opponens, quorum sensus est. ad Nuncium Apostolicum apud Cæsarem de toto negotio perscribi, vt is mentem Cęsaris intelligat, à qua se deflexuros minimè, quātum fieri potest. Officiales Ro-

les Romani recipiunt &c. Sed hæc non moror. De capite rei quæro. Adesdum Fr. Romane, cur illa integra non attulisti, vt lectoris iudicio relinqueres, quidnam de tota causa iudicaret, & te à libidine calumniandi liberaret? Viden' ergo quod iudicium fuerit Officialium Romanorũ, circa restitutionem bonorum Ecclesiasticorũ, primis Ordinibus faciendam. *De illis ipsis monasterijs* &c. aiunt ipsi, *poterunt fundari & erigi Seminaria.* Quid dicitis Officiales Romani? itane præiudicatis Fundatoribus, nec veremini Fr. Romanum, vt eius ratiunculas nugas existimetis? Quæ enimvero Seminaria: *Quæ maiori erunt emolumento Catholicæ Religioni?* Perijt Fr. Romanus, qui hactenus mutationem in meliores vsus non agnouit.

Sed quid præterea? Audi Fr. Romane. *Aiunt se reperisse multa illorum, antequam essent occupata ab Hæreticis, non fuisse vnita, & incorporata cuiquam Religiosorum Ordini, sed gubernata per se.* Itane verò? Vnde ergo Ius agendi antiquis Ordinibus pro recipiendis monasterijs, quæ nunquam fuere sua? nulli vnquam Ordini vnita & incorporata? Quis hoc dicit? Officiales Romani: Quàm vereor, ne hic Fr. Romanus, nomen Romanum mutet, aut pro se vsurpet illud *multa placent Vrbi, non Orbi*: *Aiunt* autẽ *se reperisse*: qua ratione? dubio procul in historijs, in actis, in instrumentis, in Iure, in peculiaribus constitutionibus, priuilegijs &c. Porro si non fuerunt antea vnita, deinde verò ab vsurpatione hæreticorum, desierunt esse eorum localium Religiosorum, qui tunc fuerunt, siue per mortem, quæ omnia soluit, §. *Deinceps in Auth. de nupt.* siue alijs de causis; perijt ergo Ius agendi Fr. Romano, & astrum inextinctum merito in tenebras occumbit, sed neq; mortuis lucebit.

Audi porro & reliqua Fr. Romane. *In quo casu si applicentur Ordinibus, qui ea prætendunt, non restituentur, sed donabuntur.* Itane sentiunt Officiales Romani? vereor ne hic exclamet Fr. Romanus, *Venient Romani & tollent locum nostrum*: vbi modo comminationes illæ, iurium omnium euersiones, manium beatorum violationes, & quid non malorum? si scilicet monasteria recuperata non restituantur: An forte dicere voluit, nisi donentur? Quam libenter hic Fr. Romanus admiserit *epijkiam*, fateaturq; non opus esse plenitudine potestatis, vt antiqui Ordines dono capiant; nisi forte nulla sit ratio, cur donari illi Monasteria queant; profectò multò minus, cur restitui debeant; vt interim in re obscura ex affectione capiamus interpretationem *L. Quod factum, ff. de Reg. Iur.* Et alioqui Fr. Romanus *epijkiâ* gaudere non debet, quam nisus est impugnare. *c. ex eo. Eod.*

Viden' ex his Fr. Romane, quam porro impertinens sit tua illa toties in Deckerium Iesuitam impacta mordacitas, quæ tamen ex te sine calumnia & mendacio proficisci non potuit. Neque enim dixit Baronius. *Qui vt sua firmaret, textum S. Scripturæ sæpe vt vitiosum correxit*; sed, *textum inter legendum asserens vitiatum, sæpe correxit*, loquens non de S. Scriptura, verùm de varijs aliorum lectionibus & sententijs; alioqui impertinenter idem subiunxisset Baronius; *licentius id facere licuisset* pro vulgata & recepta assertione confirmanda; quandoquidem pro nulla quantumuis recepta sententia probanda licet emendare Sacram Scripturam. Tua ergo est Fr. Romane cum studio falsificandi coniuncta inconsideratia, vt cum nomen *Iesuitæ* grauare inuidiâ velles, etiam Baronium imprudentiæ & erroris insimulares.

Pag. 201. §. Eadem est ratio.

EX dictis Opponentis (fol. 357. & 358.) elicit Fr. Romanus hanc conclusionem. *Imperator in præsenti statu non debet partibus implorantibus, prout secundum iura constitutum est, iustitiam administrare.* Quam propositionem vna cum sequelis quibusdam à se fabricatis, dicit *esse falsam, scandalosam, erroneam, neq; Fidei principijs & S. Scripturæ cohærentem.*

Ita Fr. Romanus. At Opponens talem inprimis propositionem non habet: sed reprehendit quendam, qui ex dictis cuiusdam Theologi in sensu composito, & hypothetico intulit, sensum absolutum. Dixerat Theologus, Cæsarem vt merum Iudicem non posse nisi imploratum, atq; imploratum non posse aliter quam hactenus (secundum iura) constitutum est, ordinare. Ille verò hinc sophisticè inferebat, Cæsarem in hoc ipso casu nostro debere procedere, vt Iudicem, atque partibus implorantibus, prout secundum iura constitutum est, iustitiam administrare. Ad quæ, *nonne* inquit Opponens, *si hoc vellet Theologus, manifeste ipse sibi contrarius esset, quando subiungit Cæsarem etiam alijs, qui spoliati non sunt, neq; officium Iudicis implorant, monasteria cum Romani Pontificis authoritate assignare posse?*

Est ne hoc dicere Imperatorem non debere iustitiam administrare &c. an potius Fr. Romanum dialecticen ignorare, vel, quod grauius est, fallaciter & perfidè imponere; nam de cetero ignorantia etsi culpanda tolerari posset. *L. Imperitia. ff. De Reg. Iur.* Declarat exemplo ex Iure petito, dictum suum Opponens, sed nescio an ad captum Fr. Romani; vbi verò lumen intelligentiæ, quod ipse in opponente alicubi requirit? Sensus vero est, In præsenti casu non posse Cæsarem, vt merum Iudicem secundum iura disponere de Monasterijs; quia cum Monasteria plerunq; vacantia & extincta sint, nemo est, qui eius implorare possit, vt meri Iudicis, seu iuris iam lati executoris officium: posse tamen disponere alio modo, nempe vt supremus Ecclesiæ protector est repetendo monasteria, & cum authoritate Summi Pontificis dando ijs quibus pro publico bono danda esse videbuntur. Quid hoc clarius, vel ad captum puerorum? Adhuc tamen faciliori ad hominem exemplo, si quis dicat Fr. Romano, vt mere Monacho, non conuenire doctoris officium, sed plangentis *16. q. 1. Monachus.* Num idcirco rectè hinc inferatur eandem sub alia atq; alia consideratione, quatenus Cantor & Musicus est, cum facultate Abbatis non posse non solum moniales, verum illustres quasuis puellas, adeundo earum domos iuxta Concil. Mediolan. docere cantum, & musicis ludere instrumentis, adeoq; posito planctu, tantisper se recreare? Adialecticus sit oportet, & in totum Ordinem scandalosè offendat, qui ita inferat.

Verum ego ne multis intricem Fr. Romanum, admitto positionem eiusdē cum distinctione. Imperator in præsenti casu non debet secundum iura administrare iustitiam &c, secundū iura sanè intellecta, nego; secundum iura, vt intellecta à Fratre Romano, concedo; quia ex ieiuna Iurium intelligentia, cum vbiq; in authoritatem Sedis Apostolicæ offendat, cum fidei principijs haud cohæreat, necesse est. Non longe abeo. Hoc eodem loco Fr. Romanus affirmat Cæsaris Confessarium male officio suo functum, quod monuerit Cæsarem, prouideret, quid facto opus esset, *ne & Deus, & Sedes Apostolica, & ipsa Cæsaris, Antecessorumq; authoritas offenderetur, cum Religionis Catholicæ detrimento*; quid hoc dicto magis erroneum, quid ex errore magis pernicax & scandalosum, vel ex eo, quod Confessarius Cæsaris, à Nuncio Apostolico

lico

lico (nunc Cardinale Pallotta) missis etiam in hanc rem ex Imperio ad eundem Nuntium sententijs, monitus sit, vt hoc officio apud Cæsarem fungeretur. De his habetur apud Opponentem *in Proœm. num. 12. & 13.* & refertur epistola, ex verbo Confessarij, *pag 325.* Quæ omnia tacet Fr. Romanus, ne quid doctrinæ suæ sanæ, quæ & Imperij, & Nuncij Apostolici iudicio aduersatur, officiat.

Non potuit tamen in multiloquio non peccare Fr. Romanus, dum quod de Opponentis doctrina falsò affirmat, in suum ipse caput retorquet. Ait enim *prudentum & Deum timentium iudicio non bene fungi confessarium officio, qui docet sanam doctrinam continere falsæ fidei principijs contraria* vt proinde secundum Fr. Romanũ, sana doctrina debeat continere non falsæ sed veræ fidei principijs contraria; quod quidem intelligi non potest, nisi de sana doctrina, qualis est eiusdem Fr. sparsa per totum Astrum tenebricosum, cui tamen nemo prudens & Deum timens assentietur.

Pag. 206. 207. Num. VI.

DIxerat Forerus Iesuita in Antimelandro Germ. part. 2. c. 2. n. 36. 37. 50. 51. 52. Cæsarem non modò priùs, quàm litteras illas, (quarum Astrum sæpe meminit) ad Oratorem suum Romam, & ad Episcopos scripsisset, sed etiam postea, aliqua extincta monasteria, cũ consensu Sedis Apostolicæ, ad alias pias causas, quàm principiò fundata erant, transtulisse; quas translationes nunquam retractauerit, aut cassauerit, sed firmas & ratas haberi semper voluerit. Id autem euidens argumentum esse, Cæsarem sibi nunquam persuasisse, in iure diuino ita stabilitas esse monasteriorum fundationes, vt dictæ translationes coram Deo, vix, aut difficulter possint excusari. Igitur etiam rectissimè inde concludi, rationes illas Cæsareis litteris insertas (inter quas ea, quam modò commemoraui, prima erat,) à Cæsare nec visas, nec probatas, sed à fraudulenta manu esse assutas, & intrusas; nisi cum summa ignominia ac iniuria optimi & innocentissimi Cæsaris Ferdinandi II. dicere velis, ipsum sibiipsi contrarium, contra suammet conscientiam scienter & deliberato animo egisse, quod nemo, nisi sceleratissimus de tam pio Imperatore dixerit.

Respondet Fr. Romanus: Argumentationem hanc, ipso Forero teste, non concludere. Si enim ex eo, quod post illas litteras, & rationes insertas aliquæ fundationes antiquorum Ordinum per Cæsarem aliò translatæ, neq; hactenus reuocatæ fuerunt, intendit concludere, Rationes illas Cæsaris non fuisse, etiam ex eodem fundamento concludi deberet, mandata Cæsarea de non transferendis monasterijs, Cæsaris non fuisse. Cuius contrarium Forerus fatetur, in Antimeland. lib. 1. c. 2. n. 20. dicens; notorium esse in Imperio, quod ex iussu & voluntate Cæsaris illa mandata litteris inserta fuerint. Credibile autem non esse, Cæsarem suis litteris inseri mandata voluisse à iure & Cæsarum Catholicorum consuetudine, atq; Ecclesiastica immunitate aliena, qualia hæc fuisse dicunt (Iesuitæ.) Hæc Fr. Romanus.

Sed vide Lector nigerrimum candorẽ huius Fratris. 1. Apertum mendacium est, Forerum dicere, mandata illa Cæsarea fuisse (secundùm se) à iure, & Cæsarum Catholicorum consuetudine, atque Ecclesiastica immunitate aliena. Hoc non de mandatis Cæsareis, sed de quibusdam rationibus, sub: & obreptitiè annexis dixit Forerus, idque clarissimè in parte 2. Antimelandri cap. 2. à num. 20. vsque ad num. 31. probauit.

Hinc 2. negatur sequela maioris Fr. Romani, cum ait; *si ex eo*, &c. *intendit concludere* &c. *etiam ex eodem fundamento concludi deberet* &c. nihilminus sequitur. Disparium enim non est par ratio. Atqui mandata Cæsaris in illis litteris, & rationes ijsdem insertæ toto cælo inter se differunt. Fieri enim potest, vt Princeps aliquid mandet, quod iure potest mandari; rationes tamen friuolæ, falsæ, erroneæ, & ipsi Principi, si ad examen vocentur, displicituræ, tali mandato à Secretario, vel Scriba Principis fraudulenter inserantur: quo casu, mandatum esset Principis, cuius non essent rationes. Itaq; inualidum est argumentum à mandato ad rationes. Et hoc vsu venisse in litteris Cæsaris, demonstrat fusè Forerus loco cit. Qui bolus adeò vehementer strangulat fauces Fr. Romani, vt eum hactenus deglutire non potuerit. Quæ enim præterea aduersus hoc argumentum verbosissima garrulitate congerit, ad nihil aliud faciunt, quàm vt probent, fieri licitè posse, vt Cæsar, interuentu authoritatis Pontificiæ, ex legitima causa, transferat Monasterium extinctum ad alias pias causas, quàm in prima fundatione destinatum fuerat; quod rationes illæ negant, quæ sunt pessima fide litteris Cæsareis intrusæ.

Pag. 218. Col. 1.

DIxerat Opponens (*fol.* 16. *Romanum Pontificem, ad quem iure spectat Monasteriorum extinctorum* (*quæ exempta & Rom. Pont. proprie & proxime subiecta fuere*) *ordinatio de iure, tolerasse, & rationabiliter contentum fuisse, vt ea ab Hæreticis recuperata, eiusdem Ordinis Religiosis, quales olim eiecti erant, restituerentur, idq; propter æquitatem, si cetera paria sint, & non alia extrinseca rationes aliud exigere videantur* &c. *Si autem de iure contendere velint ea tanquam debita sibi Monasteria vendicare, ita vt Roman. Pontif. aliud decernere non possit, tunc ipsis hoc ius negatur.*

Hic Fr. Romanus more solito, omittit postrema illa verba. *Ita vt Romanus Pont. aliud decernere non possit.* Nempe vt suas inconsequentias reuera Theologo indignas liberius adstruat. Scilicet.

Ergo 1. Opponens dicere intendit S.C. Maiestatem eiusque Aulam & Imperij Cameram, non secundum iustitiam, sed secundum quandam æquitatem processisse, adiudicando Monasteria Ordinibus, quibus iure non debebantur.

Ergo 2. Arguuntur hi omnes iniustitiæ, partim vsurpando Iura & aliena tribunalia, partim illis ius per sententiam addicendo, quibus nullum ius competebat.

Ergo 3. Sententia irrita & nulla. Ergo 4. Cæsar grauiter errauit, cum nuper in Edicto generali restitutionis dixit. Per præsentes decernimus & declaramus. Protestantes scilicet nullam habuisse conquerendi causam, quod Generales Ordinum, Abbates &c. propter suas Ecclesias &c. apud nos vel nostram Cameram Imperialem pro necessarijs processibus supplicauerint, eosdem impetrauerint, ac desuper ad sententiam & executionem processum fuerit.

Ergo 5. Si hæc exigente iustitia non debent tolerari, Sacratissimo Imperatori, eiusque Cameræ diem dicit, & Reos in ius ambulare iubet. nempe Opponens.

Ergo 6. Hæreticorum causam plusquam defendit, & Edicto Cæsareo se directe opponit,

Ergo

Ergo 7. Cum plerisque Hæreticis negat Imperatorem hæc iuste decernere; negat Imperatorem, Cameram, eiusmodi sententias & iudicia de Iure posse vel debere pronunciare.

Ergo 8. Offendit in ipsum Rom. Pontif. in Purpuratorum Patrum senatum, vt qui dicat minime tolerari debere, exigente iustitia, quæ ab illis iustissimè sunt iudicata.

Ergo 9. Ex his apparet, cum vltra quam hominem Christianum & Catholicum, ne dicam Religiosum deceat, Sedis Apostolicæ Declarationibus, & S. Cæsareæ Maiestati eiusque Decretis ac Tribunalibus sese opponere. &c. Vt causam habeat S. C.M. Auctorem ad publicam reuocationem compellendi, aut illius editum Tractatum prohibendi, confiscandi, supprimendi, veluti S. Rom. Imperij cõstitutionibus & ipsimet Imperatorio supremo muneri ac Tribunalibus aduersantem, nociuum, scandalosum, & Hæreticorum causæ patrocinantem.

Hæc & plura Fr. Romanus *à pag. 218. & sq. ad pag. 223.* multa sane verbositate, sine iudicio & doctrina, quæ omnia in pauca coniecimus, pertæsi ineptiarum. Ita enim fere Tyrones Dialecticorum nugari solent. Homo est Ens; ergo substantia: ergo lapis; ergo sensus expers; ergo non potest mereri; ergo non saluabitur; ergo præscitus. Sic Rabula ille pro concione tractans illud *Matth. 19. Et sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum,* ita arguebat. Bonum est se castrare propter regnum cælorum; ergo malum non castrare; ergo malum matrimonio iungi; ergo nuptiæ à Diabolo; ergo nullum matrimonij Sacramentum: cum ipse interea ex vxore, & quatuor concubinis, viginti pueris vtriusque sexus parens esset. Sic & ille in L. ita arguebat. Non videntur, qui errant consentire. *L. Non videntur ff. de Reg. Iur.* Ergo non debent puniri peccatores; ergo non cõtrahunt culpam, quantumuis errent; Ergo homicida voluntarius non consentit, licet erret; Ergo saluari potest, tametsi non pœniteat. Et quid non nugarum ex quouis principio deduci insulsè queat, si cum Fr. Romano nugari libeat? Verum quæ ipse de more non ad rem dixit, nos è re examinemus.

Ecquis adeò est hebes in Iure, qui nesciat dispositionem Monasteriorum exemptorum ad Pontificem spectare? si sexcenti Canones id non docerent, ipsa Cõcordata Germanicæ nationis, quorum tam citò oblitus est Fr. Romanus, in præsenti argumento satis euincunt. Porro si Imperator aliquid circa ea disposuit; Aut nomine Summi Pontificis; & hoc est extra controuersiam; intercessit quippe factum eiusdem. *Arg. à contr. L. Id quod nostrum ff. De R. I.* Et C. si Apostolicæ. De præbend. in 6. Aut præter voluntatem Pontificis sub spe ratihabitionis; & sic gestum alioqui nullum. *3. q. 8. Accusatores.* Et 11. *quæst. 1. In Clericorum.* Si postea laudauit Pontifex, subsistit, *L. Hoc iure §. Deiecit.* Et §. *Ratihabitio.* Et *L. semper qui ff. De Reg. Iur.* Etiamsi tacitè fieret, *L. Paulus ff. rem ratam.*

Atque hæc quidem pro ratione facientis. Pro ratione autem facti, inspiciendum respectu cuius qualitatis sit actus; quia ex hoc diuersus resultat Iuris effectus, vt bene *Bart. in L. Tutor peritus §. Quæ tutoribus ff. De Excu. tut.* Sæpe enim potest vt alius, quod non vt ipse. *Arg. L. Item eorum. ff. Quod cuiusq. vniuers.* Huc facit quod ipsemet Fr. Rom. pag. 219. & 220. licet ineptè, velut tuba canit, Acatholicos Romanas non morari minas, si dormiat Imperatoris dextera. Et hoc est tolerasse factum propter æquitatem; æquum enim erat ita fieri, quò Acatholicis tanquam *Actio confessoria* intentaretur, vendicando ab ijs, quæ olim antiquorum

Ordinum eiusdem Religionis erant. *Arg. Inst.* §. 3. *De Actionib.* præsertim cùm Acatholici coram Imperatore iudicio periclitaturi non exceperunt contra Ordines prædictos, facturi, si coram Tribunali Pontificio decernendum fuisset: nec aliæ tum rationes extrinsecæ aliud exigebant.

Quidni ergo rectè dixit Opponens, propter æquitatem tolerasse Pontificem, vt monasteria restituerentur Ordinibus antiquis, qui tamen si de iure contendere voluissent, quasi Romanus Pontifex aliter decernere non potuisset, irritando etiam factum, si eius nomine gestum haud fuisset, hoc Ius negari illis poterat, addo ego, & debebat. Et in hanc rem allegauit dictum Innocentij *c. Cum iam dudũ. De Prabend. Multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in iudicium, exigente iustitia non debent tolerari.* Intellige si callido versutóque iure cognoscere oporteat, & non ex æquo & bono, vt inquit *Tullius pro Cacinna*, vel meliùs, si stricti iuris ratio attendenda esset. Huc faciunt quæ §. Superiori de Officialium Romanorum sensu attulimus.

Docendus porro est Fr. Romanus huiusmodi æquitatem non repugnare Iustitiæ, vt ipse hic passim, sed præsertim *pag.* 221. imperitè existimat, & ideò pueriles inconsequentias sine ratione agglomerat. Est quippe iustitia moderata, & non cum rigore ad apices Iuris excussa. Vnde & Abbas vocat *Iustitiam dulcore temperatam c. fin. num.* 6. *De Transact.* Et in dubio vel pari ait semper esse præferendam rigori. *Ibid. n.* 9. Et *L. Placuit C. De Iudicijs. Placuit* (inquit Imperator Constantinus) *in omnibus rebus præcipuam esse Iustitiæ æquitatisq; scriptæ, quàm iuris stricti rationem.* Quin vero Ius ipsum definitur *Ars æqui & boni. L. Iuri ff. de Iust. & Iur.* Et cum in re præsenti aliqua consideratione extendi possit ad Ordines antiquos, ratio minoris, quæ censetur Ecclesia *c. Auditus, sub fin. Extra. De in integrum. rest.* Et §. *Orphano trophi. Auth. De Eccles. Tit.* potuere illis ex æquitate adiudicari aliqua Monasteria. *Arg. L. Quod si ff. De minorib.* Vbi dicitur, non semper ea, quæ cum minoribus geruntur, rescindenda sunt, *sed ad bonum & æquum* redigenda. Si non semper, ergo interdum, si nempe cetera non sunt paria, & extrinsecæ rationes, vt dicebat Opponens, aliud exigunt, adeoque si stricto Iure agatur.

Habet autem eiusmodi æquitas etiam illud peculiare, vt interdum fingat, quod non est in rerum natura *L. Qui in Vtero ff. de stat. hom. Instit.* §. *Sed si bello. De Excu. Tut.* Id quod etiam hic dici potest, quasi fingat monasteria illa prædictorum Ordinum esse, tametsi cum vacantia sint, nullus eorum hæres existat. *L.* 1. *Theod. C. De bonis. Vacant.* Sunt enim caduca *L. Vlt. C. Theod. eod.* Et *L.* 2. *cum alijs comp. Tit. seq.* Quæ olim publicabantur. *Vlpian. c. Inst.* 18. hodie confiscantur. *L. Intra quatuor ff. de diuer. temp. L. Quamuis. ff. De Vsucap.*

Atque ex his patet quid respondendum sit ad Fr. Romani inconsequentias.

Ergo. 1. Fr. Romanus non intelligit quid sit iustitia, quid æquitas & ideo imperitè arguit.

Ergo 2. Errat, quod quæ per æquitatem fiunt, ex iniustitia fieri affirmet.

Ergo 3. Nescit, non esse irritam, seu nullam sententiam, quæ fertur per æquitatem; non enim fertur inuito eo, qui habet potestatem, etsi intercedat patientia siue tolerantia. *Arg. L. Huius* §. *Scientiam. ff. de Tribut. act.* Et sufficit non nolle, etsi non adesset velle. *ibid.*

Ergo 4. Non errauit S. C. Maiestas, sed bene Fr. Romanus eiusdem edictum

falsi-

falsificauit. Neque enim in Edicto Cæsar dicit *Decernimus & Declaramus*, sed vt meus Amanuensis ex textu Germanico prodit, *Agnoscimus* & *declaramus*. Et plus hoc loco referebat fideliter reddere, Fr. Romanum ex Germano idiomate quod à paucis externis intelligitur, quàm Opponentem prætermittere ex Italico ferè plerisque familiari, id quod ad rem non faciebat.

Ergo 5. Opponens non dicit diem Imperatori, neque ipsius Consiliarios, vt reor in ius ambulare iubet, sed Fr. Romanum iuris imperitum arguit, & in suam scholam, instar proletarij, venire monet, vt discat æquitatem non Opponi iustitiæ, & quid intersit inter ius scriptum & æquitatem.

Ergo 6. Non defendit Hæreticorum causam Opponens, etsi dicat per patientiam toleratum, quod fecit Imperator, sed Fr. Romani impugnat inscitiam; quia non discernit quo respectu dicatur aliquid toleratum ratione stricti Iuris, & laudatum ratione æquitatis.

Ergo 7. non negat cum Hæreticis, Imperatorem hæc iustè decernere, alioqui mentitus fuisset Fr. Romanus, cum dixit, Hæreticos agnouisse forum competens Cæsareum; sed cum Catholicis atque etiam Acatholicis affirmat, Fr. Romanum non intelligere, quod etiam secundum æquitatem decernere, fit secundum iura & ex Iure definire.

Ergo 8. Opponens non offendit in ipsum Rom. Pontificem & Purpuratum Senatum, Neque enim dixit, minime tolerari debere exigente iustitia, quæ ab ipsis iustissima sunt iudicata: hæc enim implicant in terminis respectu stricti Iuris. Nec nisi ab imperito, ne dicam falsa & mendacia affirmare solito, possunt obijci. Sed dicet quidem Opponens, nunquam Purpuratos Patres hæc iudicasse iustissima respectu stricti iuris, imò simpliciter ne iudicasse quidem, etsi applauserint optimæ Cæsaris voluntati, & æquitatem approbarint. Alioqui benè norunt Patres Purpurati, quo sensu accipiendum sit dictum Innocent. III. de quo supra. Et, quæ subinde tolerantur corrigenda esse. *Arg. Auth. Vt immob. ant. nupt.* Vnde quod Fr. Romanus *pag.* 222. dicit, Pont. Opt. Max. agnouisse huiusmodi causas ad Imperatorium veluti legitimum Tribunal pertinuisse & pertinere, procedit ex imperita, vt ita dicam, & verbosa ranarum garrulitate. *c. Legimus. dist.* 37

Nam etsi Sum. Pont. benedixerit quibusdam Declarationibus in Edicto Cæsareo contentis, non idcirco agnouit huiusmodi causas à Cęsaris Tribunali pendere: quæ hæc Dialectica? Sed benedicendo annuit, vt effectui mandarentur; erant enim tales, *quarum Vt*, inquit Pontifex *amoueantur obstacula, quæ Catholicæ Religionis instaurationem hactenus retardarunt.* Idque facere congruum iudicauit, ne stricto iure ageretur. Neque dixit, *approbamus*, quod Fr. Romanus falsò addit, sed per parenthesin (quibus benedicimus) quod hic, tantum significat, ac bona precamur, seu desideramus ad effectum scilicet consequendum, iuxta illud *Lucæ* 2. *Benedixit illis Simeon*, id est, vt inter alios explicant *Durant. lib.* 2. *de ritib. Eccl. c.* 57. *num.* 4. bona precatus est. Nihil vero hic de approbando legitimo Tribunali, quod Fr. Romanus somniat. Quanquam si ita esset, non nisi data ab Apostolica Sede facultate ad cognoscendum, dicendum foret.

Ergo denique 9. Ex his omnibus apparet. Fr. Romanum, vltra quam hominem Christianum & Catholicum, ne dicam Religiosum deceat, (cuius absque temperantia linguæ vana est religio) Sedis Apostolicæ Iurisdictioni se opponere, Pontificis literas falsa interpretatione adulterare; Declarationes Cæsareas falsificare;

ficare; ex ijs petulanti garrulitate, plura fine iudicio inconſequentia deducere; lectori fucum facere; melioribus ſe contumelias imponere; vt cauſam habeat Summus Pontifex Authorem ad publicam reuocationem compellendi, atq; illius Aſtrum prohibendi, confiſcandi, ſupprimendi, extinguendi, & in foro Floræ flammandum & radiandum, amandandi: veluti authoris aduerſantis iuribus Eccleſiaſticis, ipſimet Summi Pontifici, Sedi Apoſtolicæ, præterea ſcandaloſi, & ſchiſmatum incentoris, nec non ad hæreſes aditum patefacientis.

Vt mirum ſit, quàm non pudeat inſcitiæ, qui Opponenti illud Baronij occinere ex diuerſo argumento auſit. *Identidem in aurem ſuggerimus* & ingeminamus. *Quæ antiquitus ab Eccleſia Romana, (Vel ab Imperio Romano) noſcuntur minime eſſe in vſum recepta, tu quaſo poſt tot ſecula ne adducas in obſeruationes, magis autem cum Beda noſce eſſe hanc verè fidem totius Eccleſiæ.* Quæ enim hinc conſequantur, Non eſſe ſcilicet in vſum recepta ab Eccleſia, Summum Pontificem non eſſe ſupremum Iudicem in cauſis Eccleſiaſticis, ſed Imperatorem, idque eſſe verè fidem totius Eccleſiæ, nemo non videt. Mihi, niſi ignorantia ad Palinodiam cogenda excuſet, ſuſpecta hominis religio eſt, ſed Lectoris iudicio relinquo, quid de huiuſmodi doctrina ſentiat. Mitto interim adialecticum Theologum, in illa ſua interpoſitione, (vt ſolet ſemper incæſtare bene ab alijs dicta,) in illa inquam interpoſitione (*Vel ab Imperio Romano*) nec vim diſiunctiuæ intelligere, nec quid vocabulo Romanij Imperij ſignificetur, diſcernere.

Pag. 220. Col. 1.

VNius Cæſaris nutum magis extimeſcere Hæreticos, quàm fulmina Summi Pontificis, aut Ordinis ſacerdotalis vniuerſim, quibus armorum vſum interdictum eſſe norunt, iuxta illud Ioan. 18. *Mitte gladium tuum in vaginam, adeoque Romanas non morantur minas,* &c.

Ita Fr. Romanus, Et quamuis de armorum vſu loquatur, locus tamen argumenti ſatis clare demonſtrat, ipſum vellicare poteſtatem vſus armorum, eamque Pontifici, & vniuerſim ſacerdotali interdictum cenſere; alioqui non dicturus: Romanas non morantur minas &c.

Hæc doctrina dubio procul ſuſpecta eſt, & improbata à Bonifacio VIII. *Extrau. Vnam ſanctam De Maiorit. & Obed.* Vbi tanquam ſi ſpiritu præuidiſſet emerſurum aliquando inter alios, inſcitè de poteſtate Pontificis ſentientes, Fr. Romanum Hay, directè hæc in eum intorſit. *Qui in poteſtate Petri temporalem gladium eſſe negat, malè verbum attendit Domini proferentis, Conuerte gladium tuum in vaginam. Vterq; ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis. Sed is quidem pro Eccleſia, ille ab Eccleſia exercendus. Ille ſacerdotis, is manu regum & militum exercendus, ſed ad nutum & patientiam ſacerdotis.* Sic Bonifacius.

Vnde ſatis apparet ſiue ex inſcitia, ſiue ex ignauia, minus caſtigatè loqui Fr. Romanum, ne grauiori hic cenſura perſtringatur; nam de cetero malè ipſum fundatum eſſe in Theologia, nec ſecùs in Canonibus, oſtendunt multa ex hactenus dictis, & vlteriùs dicendis, vt quamuis ignorantia, multum ſanè culpanda, excuſet, iuxta aliàs dicta, præceps tamen & turbulentum ingenium, ingerat præiudicium latentis maioris mali.

Pag. 250. Num. 5.

DIxerat Opponens (*fol. 52.*) *Falsum & erroneum esse, dicere, si fundatio in pium vsum destinata ex fine bono in meliorem conuertatur*; puta si Scholæ, Collegia, & Parochiæ ædificentur, *iniustitiam esse*.

Ex hoc dicto, inquit Fr. Romanus, *Omnium suorum Monasteriorum fundationes luxari vident religiosi, adeoq; nullum superesse quod non facile auferri possit*, tum quia cum Filliucio tuetur Opponens (*fol. 57.* Bona vni Ecclesiæ siue Regulari, siue sęculari attributa, posse validè & pro libitu à Sum. Pontifice auferri, & in aliam alienari; tùm quia talis translatio non tantum est valida, sed etiam si fiat ex fine bono in meliorem vsum, licita &c.

Sic fere Fr. Romanus, & vt videtur piè collacrymans, ex metu cadente in feminam, *Glos. in c. Cum locum. De sponsal. Abbas. in c. causam. n. 2. eod.* Iubeo tamen illum bono esse animo, neq; enim quia aliquid valide & licite fieri potest, ideo semper fieri debet, sed vrgente *necessitate & vtilitate. Arg. c. mutationes 7. q. 1.* Et præsertim Ecclesiæ negotia moratè & cum deliberatione sunt expléda, *Dist. 45. Licet. 1.* Porro simili argumento deberent deplorari omnium bonorum & digniorum causæ, quòd illis meliores & digniores in electionibus præferantur. *Arg. Si forte. Dist. 63.* Et. *Non mediocriter. Dist. 5.* neque hoc vnquam faciendum esset, ne bonis & dignis noceremus.

Quod attinet ad sententiam Filliucij, non eius solius est, vel si eo solo nominato conetur nomen Ordinis in inuidiam vocare Fr. Romanus; Plures pro eadem refert Filliucius. Addit tamen, quod omittit Fr. Romanus. *Dixi valide, quia non quæro hic de honestate alienationis, sed de validitate.* At inquit Fr. Romanus, ex sententia Opponentis *non solum valida est, sed etiam licita huiusmodi translatio, si fiat ex fine bono in meliorem vsum.* Recte sane. sed quid inde? *sequetur nimirum nullas fundationes tutas mansuras* &c. Sic ille apud Hierocles, nunquam optabat cælum nubibus obduci ad pluendum, ne tonaret, & fulguraret; non considerans vtilitatem publicam, quæ ex pluuijs proueniebat. Est quidem casus moraliter haud possibilis, omnes mutari ex dicta causa fundationes, & ideo inanis metus Fr. Romani, si tamen eueniret, & maius inde bonum vniuersali Ecclesiæ accederet, quid tum? *7. q. 1. Scias.*

Porro verè ridiculus Theologus est Fr. Romanus, qui *pag. 171.* Concedit Papam posse de potestate absoluta quicquid vult, *quadrata mutare rotundis, totum ordinem ex causa supprimere, extinguere* &c. Et tamen hic inuidiosè cum Filliucio accusat Opponentem, quòd dicant bona vni Ecclesiæ attributa posse validè & pro libitu à Sum. Pontif. auferri, & in aliam alienari; cum hoc longe minus sit, quàm extinguere, supprimere &c. quę destruunt substantiam & principale. Quis autem neget eum qui potest plus, posse etiam minus in eodem genere? *L. In eo quod plus. ff. de reg. Iur.* Debuisset autem studiosius legisse Filliucium, qui, si id fiat sine causa, iniustitiam committi affirmat.

An vero iniustitia sit ex fine bono in meliorem vsum, Scholarum videlicet & Collegiorum; rebus ita poscentibus, conuertere: Affirmabit sine dubio ex suis Principijs Fr. Romanus, qui duas tantum causas esse posse mutationis contendit, vt alibi ostendimus; & fortasse adhærebit opinioni VViclefli damnatæ *in Concil. Constantien sess. 8. art. illius 20. Studia nimirum Generalia, magisteria, Collegia* &c. *Vana*

Gentilitate esse introducta, & tantum prodesse, quantum Diabolus. Alij tamen sapientiores negabũt, vel de iure naturæ, vt interim de iure positiuo taceamus. Vnum duntaxat hic animaduertere iubeo Fr. Romanum, si capit. Facere interdum sine causa, esse prærogatiuam Summi Principis etiam auferendo Ius tertij, vt notat. *Paul. de Castr. post Alb. in L. Quoties C. De precib. Imper. offer. Decius ibid. & cons. 269. col. 4.* Quanto magis si cum causa, de Iure agit? Aut ergò Fr. Romanus negabit Sum. Pontificem, ad minimum esse liberum & absolutum bonorum Ecclesiasticorum administratorem. *Clement. 1. Vt lite pendente. in fine.* aut non deposito metu, ne luxentur monasteria, eiurabit Sacramentum, quo, ad sanguinem vsq; defensuros antiquos ordines Pontificiam potestatem receperat. *pag. 172.*

Pag 252. §. Alter locus est.

ASsumitur dictum Innocentij III. *ex epist. ad Guihel. Remen. Quæ semel Deo dicata sunt Monasteria semper maneant Monasteria, cum & hodie generaliter statuatur, Vt ordo Monasticus, qui in aliquo Monasterio secundum Deum & B. Benedicti regulam dignoscitur institutus, perpetuus ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.*

Ad hunc locum respondet Forerus Iesuita, *sermonem non esse, nisi de Monasterijs, quæ Vt Canones loquuntur, reipsa per Regulares ritè sunt constituta. Ad hoc autem duo necessaria sunt. Alterum Vt in Cœnobio sit tantus Religiosorũ numerus, quantus Congregationem seu Conuentum ex præscripto Iuris solet conficere. Alterum Vt ijdem Religiosi approbata regula congruenter Viuant. Quod si alterum horum deesse contingat, ita Vt nullus amplius Religiosus in Cœnobio superstes sit, aut ibi ipsi, qui adsunt, ab Instituti formula recesserint, &c. tunc transferri in alios illicitum non est.* Hæc Forerus.

Contrà Fr. Romanus, inter alia, *Theologo,* inquit, *Canones fas est allegare, non fingere.* Item. *Quod ibi sermo non sit* (nempe in dictis Innocentij) *nisi de Monasterijs quæ reipsa per Regulares sunt constituta, figmentum est, non Canon. Institutus, & reipsa constitutus, toto cælo differunt* &c.

Ita Fr. Romanus toto cælo errans, quod alterum ex altero sequi ignoret. Est enim *instituere*, velut quædam via ad *constitutionem. Franc. Manoc. De Inst. lib. 1. c. 1. Vnde,* inquit, *& institui adolescentes dicuntur, Vt animo benè constituti euadant.* Et Bud. *in Pandect. Instituere aliquid est auctorem, quasiq; conditorem alicuius rei fieri exemplumq; posteritati relinquere.* Quo fit vt aliquid sit reipsa constitutum, quod reliqui imitentur, & consequenter Ordo qui dignoscitur institutus in aliquo Monasterio, aliquid constituti habere debeat à certo authore, alioqui non dignosceretur. Et hoc est quod Innocentius ait. *Ordo Monasticus, qui in aliquo Monasterio secũdum Deum, & B. Benedicti regulam dignoscitur institutus:* Alioqui non erit Ordo. *Dist. 61. Miramur.* Nec secundum Regulam. *Dist. 3. Regula.* & *Dist. 12. De ijs.*

Rectè ergo dixit Iesuita, sermonem esse de Monasterijs *reipsa per regulares constitutis,* iuxta binas, quas assignauit conditiones; idq; iuxta Canones & non ex figmento, vt acanonicè arguit Fr. Romanus. Quod si Canones non enotauit, id causæ fuit opinor, quod non putarit aliquem fore, qui hæc Canonum elementa ignoraret, cùm præsertim ex ipsis Innocentij verbis sufficienter totum id deduceretur. Nihilominus, ne rudibus fingere videatur, Disce Fr. Romane alteram dictarum conditionum haberi. *c. In singulis §. Et quia De Stat. Monach. iuncta etiam Glos.* Et *in Conc. Trid.*

Trid.sess.25.c.8.De Regul. & Monial. vbi idem caput refertur. Alteram verò tum ex paulo ante allegatis Innocentij verbis, tùm *ex c.Relatam. Ne Cler.Vel Mon.* hoc ipso, quod non viuentes ex obseruantia regulæ iubentur eijci, alijs inductis.

Quod autem tu affirmas, has conditiones reiectas esse à Sacris Canonibus, hoc sanè tuum imperitum figmentum est. Quod addis, te id fusè ostendisse in superioribus: respondeo, te nec fuco quidem digna dixisse. *Docuimus* inquis, *omnibus de Collegio mortuis, alios eiusdem professionis & familiæ homines, sicut in fundatione fuit expressum, & natura beneficij requirit, substituendos esse* &c. At nos contra ostendimus, hoc regulariter esse faciendum, etiam iuxta interpretationem Abbatis à te laudatam, quæ tamen ius non condit; Nec alius Canon obstat, quo minus *qui regulas non seruant, eijciantur*, & alij inducantur, non seruata illa gradatione Abbatis, vt patet *ex cap.Relatum.Ne Cler.Vel Mon.* præsertim si sermo sit de Monasterijs extinctis. Nam dictus Canon loquitur de Monasterio non extincto, in quo adhuc superstites erant aliqui, tametsi non regulariter viuentes. Quanto minus seruanda ea gradatio in extinctis?

Neq; obstat quod postea scripsit Innocentius *Generaliter statutum esse* (sicut tu recitas) *Vt Ordo Monasticus, qui in aliquo Monasterio &c. dignoscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.* Id enim intelligitur ceteris paribus, & si viuant secundum regulam, si vtilitas & necessitas aliud non exigat. *Arg. 7.q.1.Mutationes.* Generalibus enim specialia derogant. *L.In toto ff. De reg. Iur.* Et quamuis generaliter dictum, generaliter sit intelligendum. *L.1.§. Generaliter.ff.De Legat.præst.* Si tamen cetera non sunt paria, aliter accipi potest *L. Generaliter ff.De Offic.Præs.* Dixi vt tu recitas. Neq; enim Innocentius dixit *Generaliter statutum esse*, sed *cùm & hodie generaliter statuatur* &c.& loquitur de Monasterijs non extinctis, nec egentibus reformatione, verum in peculiari casu, in quo petebatur, vt Monasterium conuerteretur in Ecclesiam Cathedralem Quod Innocentius concessit ea conditione, vt Monachi nullatenus excluderentur; id tamen non intelligitur si aut defecissent, aut non secundum regulam vixissent.

Illud quoq; ridiculum quod dicit *Omnibus de Collegio mortuis alios eiusdem professionis & familiæ homines, sicut in fundatione fuit expressum &c. substituendos esse.* Quis enim id credat, nisi exhibeantur fundationis instrumenta? præsertim, cùm vt alias diximus antiquo iure non faciebant vnam congregationem, & vnum corpus multa Monasteria. *c.1.& c.Si quis Abbas.& c.Abbates 18.q.2.* Deinde verisimile non est huic casui prospexisse Fundatores, *si scilicet omnes in Collegio morerentur*, non vero, *si male & non secundum regulam vixissent, vel si desertis Monasterijs bona turpiter alienassent*, an etiam in hoc casu eandem familiam voluissent inuiolabiliter substitutam: Frustra sane sanciuerit Alexander III. *c.Relatum ne Cler. Vel Mon.* fratres alterius Ordinis inducendos, nisi aut contradixerit fundatoribus, aut Fundatores hoc ipsum pro re & tempore voluerint, & voluisse præsumantur. Inanes ergo sunt ratiunculæ Fr.Romani, quem vlterius nosse velim, non esse correlatiua necessario se inferentia Monachum & Monasterium, sed Monachalem regulam & regularem professionem, vt recte *Nauar. Com.3. de Regul. n.45.* Quæ responsio sufficit etiam ad parabolam de Samaritano extra propositum adductam (*pag.* 253.) si applicare norit.

Pag. 254.

ARguit Forerum Iesuitam textus corrupti *in Clement. Quia contingit*: quod is dicat, in ea Clem. expresse dispositum esse, de vltimis voluntatibus mutandis & applicandis, iusta & necessaria ex causa. *Nihil minus*, inquit Fr. Romanus, *imo totum contrarium ibi disponitur, videlicet quod ea quæ ad certum vsum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salua quidem Sedis Apost. authoritate) conuerti. Quæ conditio parenthesi inclusa, tametsi non exprimeretur, semper subintelligeretur, neq; est vlla dispositio, sed reseruatio generalis.*

Ita Fr. Romanus. Sed cum Antimelandrum, ex quo hæc deprompsit, Germana lingua scripserit Forerus, dubitari potest, an fideliter reddiderit, præsumptione iam ex similibus capta. Fac ita esse. Dico Forerum peritè eam Clement. allegasse; Fr. Romanum verò imperite dicere, *nihil minus, imo contrarium ibi dispon.* Hoc enim ipso, quod *dicitur salua Sedis Apost. authoritate*, satis exprimitur, posse mutari vltimas voluntates, (habito præsertim respectu ad præcedentia Foreri dicta,) *& applicari posse pia legata ad alios pios vsus.* Nec refert, quòd dicat Fr. Romanus, esse reseruationem generalem & non dispositionem, alioqui & Pontificem reprehendat, exprimentem id quod etiam non expressum subintelligebatur. Deinde non quæritur, an sit generalis reseruatio, an dispositio; sed an ex ea rectè argumentatus sit Iesuita, expressum haberi posse; mutari vltimas voluntates, &c. Hoc autem nemo sapiens negat, & ex *Glossa u. Sedis Apostolica*, clare liquet. *Nota*, inquit, *per hanc literam, solum Papam alterare posse vsum illorum, quæ per fideles destinata sunt vel relicta*: quasi dicat, duo his verbis exprimi, & quod alterari possint; & quod à solo Papa possint, & ex hoc eodem capite probant communiter Doctores, mutari posse vltimas voluntates. *Nauar. De spol. Cleric. monit. 50. n. 5. Barbos. Alleg. 83. De Off. & Potest. Episc.* & plurimi alij apud eundem.

Vnde vlterius colligitur, falsum esse, ea clausula non contineri dispositionem; cum nec sit alius Canon, ex quo id magis probent DD. nec solum probent posse mutari vltimas voluntates, sed præterea, quod solus Papa id possit; vt *Gloss. sup.* Nulla quippe alia potestas Imperialis, an Regalis, hùc se extendit. *Bene quidē. Dist. 96.* Et *c. Ecclesia S. Mariæ. De Constit.* Nam etsi de alijs vltimis voluntatibus etiam possint supremi Principes seculares ex causa disponere. *L. 1. & L. Legatum. ff. de administ. rer. ad ciu. L. voluntatis. C. De fideicom. Bald. in L. 2. n. 1. in fin. C. de seru. manu.* Id tamen non possunt in pijs legatis; Et nisi ex hoc præcipue capite probaretur, (præscindendo à plenitudine potestatis,) posse Pontificem legata pia in alios vsus conuertere, difficile id esset ostendere: ob causas, de quibus *Nauar. in Tract. de redit. Eccl. Monit. 20. Caiet. 22 quæst. 43. a. 8. Card. in d. Clement. Quia contingit. Et DD. in c. Non liceat Papæ. 12 quæst. 2.* Rectè autem notat. Glos. hunc casum addendum illis qui habentur. *c. Quod translationem. De Offic. Leg.* tùm in textu, tùm in ipsa Glos. vbi inter octodecim casus, quos in varijs Iuribus Pontifex sibi reseruat, hic, de quo agimus, non ponitur, & ideò addendum putat Gloss. tanquam peculiarem puta dispositionem, non minùs, ac in ceteris, quæ speciatim reseruantur.

Sed nimirum Fr. Romanus ex ignorantia argumentandi in Iure, existimabat se fucum facturum Lectori, si Iesuitam reprehendisset. Sic elementarij nudum textum, instar Carocij Bononiensis, vt quidam ait, ingressi, coniuncta, consequentia

æqui-

æquipollentia non discernunt. Si enim *in d. Clem.* excipitur Sedis Apost. authoritas, consequens est, ab ea posse legata pia mutari, quod ex vi antecedentis volebat expressum Forerus. Et æquipollent hæc duo, *Non posse legata pia in alium vsum conuerti, salua Sedis Apost. authoritate; à Pontifice posse in alium vsum conuerti, seu mutari;* proinde qui prius illud in canone expressum agnoscit, posterius non negabit: Æquipollentium quippe idem est iudicium *cap. in his. De verb. signific. c. Licet ex quadam. De testib.* Atque adeò est eadem ratio, idemque effectus. *Bald. in L. Illud. C. de Sacros. Eccl.* Quæ quia non didicit Fr. Romanus, quid mirũ, si insultet, vel etiam iuxta Hostiens. *in proœm. Sum. §. Quanto:* ex inuidia mordendo condemnet, ad hoc tantum, vt detrahat, vel discordiam pariat, contra *cap. Clericus inuidens.* Dist. 46 vt ibid. Hostiens.

Quid vero diceret Fr. Romanus, si audiret Bald. in Proœm. Decret. num. 25. *per l. Bones, §. Hoc sermone ff. De verb. signif.* excludere viduas, à Legato pio pro maritandis mulieribus pauperibus relicto? Si audiret DD. per. *L. Pecuniam ff. De operib. pub.* probantes, licere interdum Episcopo commutare vltimam defuncti voluntatem, in qua tamen lege nec Episcopi, nec vltimæ voluntatis mentio reperitur? Quamuis & per alias leges, & iuxta Concilij etiam Trid. sensum id posse facere alibi iam dixerimus? Si denique, Monacho vno superstite, non posse per eum adiri reliqua monasteria, in quibus vel vnus superesset, audiret probari, per. L. 1. §. Veteres, ff. de acq. vel amitt. poss. & confirmari à Ioan. Andr. *Quia scilicet Asinus intumescit, cum per comparem se videt apprehendi*: Quid obsecro ad hæc Fr. Romanus? hæreret opinor ipso stupore stupidior. Sed hæc satis.

Eat modo & iactet, à Iesuita sacros canones inuerti, vt qualis est Translationum instituendarum causa, tale esse & patrocinium, vel potius fateatur se cum Appione apud Iosephum, (lib. contra Appion.) cor transuersum habere.

Pag. 256. Col. 1.

Exprobrat Authori *placidæ*, cuiusdam *disceptationis* errorem contra Fidem. Dixerat hic *fol. 2.* vt refert Fr. Rom. mihi *pag 5. in epist. de Iesuitarum defectibus*, quos nonnulli male feriati exaggerabant. *Non est, neq; fuit vnquam Ecclesia sine macula.* Ad hæc Fr. Romanus zelo percitus. Quid? *iam non solum Ordinibus, sed etiam Ecclesiæ tribuitur, quod multi in Ecclesia fecerunt? Non est neque fuit vnquam Ecclesia sine macula? Ergo vana est fides nostra, & posthac credendum est nobis in vnam non sanctam, sed maculatam Ecclesiam? Quo pacto igitur Christus teste S. Paulo* (ad Ephes. 5.) *dilexit Ecclesiam & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, & exhiberet ipse sibi gloriosam non habentem maculam, aut rugam aut aliquid huiusmodi? Et Spiritus Sanctus eam salutans (Cant. cap. 3.) Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Ita Fr. Romanus, ita totus zelo abreptus, vt neque rectè meminerit Spiritus Sancti, quo loco dixerit, *Tota pulchra es*, &c. citat enim caput tertium, nimirum tertiato furore bacchans, cum citare debuisset quartum. Et poterat ad confirmationem sui dicti, adducere S. Hieronymum *in c. 5. epist. ad Ephes.* Refertur 33. q. 3. *De Pœnit. dist. 1. c. Ecclesia.* Et Gelasium. *Dist. 21. Quamuis.* Et Concilium Toledt. VI. *cap. 1.* Et Extrau. Ioan. XXII. *Gloriosam.* apud Eimeric. *In lit. Apost. pro Off. Inq.* Poterat, inquam, multa hoc genus agglomerare, & vt solent ad pauca aspicientes de facili enunciare.

Ita inquam Fr. Romanus, magno cum zelo, sed non secundum scientiam, adeoq; supina cum ignorantia, vt iam non satis putem illum ad scabellum demittere, aut etiam ad cathomum attollere, sed opus sit numellis inducere, donec sacer magistratus de eo cognoscat, eo magis, quòd hæc eadem in præfatione ad Lectorem prius obtruserit, plane exultabundus, tanquamsi Rhodum tenuisset; nunc verò etiam obfirmato animo eidem infantiæ videatur inhærere. Oro enim, mi Lector, qui vel primoribus labris Theologiæ & S. Scripturæ fontes attigisti, an dignam iudicas Theologo Presbytero eodémque religioso hanc sententiam, an potius ne in puero quidem ferendam inscitiam & imprudentiam, quæ non discernit, de qua re quid effutiat, profectò vix vt excuset lubricitas linguæ, nisi insania accedat. *M. Famosi ff. Ad L. Iul. Ma.*

Qui ergo hanc propositionem. *Non est, neq; fuit vnquam Ecclesia sine macula*, falsam, & pugnantem S. Scripturæ, adeoque hæreticam, contradictoriam eiusdem: Nimirum. *Est & fuit semper Ecclesia sine macula* veram, S. Scripturæ cõformem, adeoque Catholicam fateatur necesse est. Aut ergo sensus est, solos perfectos esse in Ecclesia absque omni peccato: Et hæc est hæresis Pelagianorum & Anabaptistarum. vt Bellar. inter alios, lib. 3. de Eccles. milit. c. 8. aduertit. Aut non esse in Ecclesia magnos peccatores, ratione quorũ per Synecdochen dici queat habere maculam, Et hæc est hæresis Nouationorum, Donatistarum, Confessionistarum. Vt idem *c. 8. & 9. ex S. Augustino.* Aut denique vt euitentur istæ hæreses, dicendum erit Ecclesiam non esse, nec fuisse vnquam sine macula, quia non solos iustos & perfectos, sed etiam peccatores comprehendit, quod est intentum Authoris *placida disceptationũ.*

Discat ergo Fr. Romanus, & non sit puer in Theologicis, & cum legit illud Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te*, & plura similia, non statim enunciet, sed prius interpretes legat, intelligat, vt sic pulsa ignorantia mentem erudiat. Sanè si primum caput Cant. legisset priùs, quàm inuerso ordine quartum, vel si legit, intelligere conatus fuisset: Quid est quod dicitur *Nigra sum, sed formosa sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*? profectò non tam facile in errorem plane puerilem præcipitasset. Intelligat ergo ex S. August. *lib. 3. Doctr. Christ. cap. 32.* Non esse hoc loco dictum, *Nigra fui*, sed *nigra sum.* Quia ipsa vna eademque Ecclesia & fusca est propter peccatores, & nihilominus formosa sicut pelles, id est, tentoria Salomonis. nempe propter bonos, quos in se habet. Vtrumpue se esse dixit, inquit Augustinus; *propter temporalem vnitatem intra vna retia piscium bonorum & malorum.*

Quid ad hæc Fr. Romane? erubesce & fatere, bene dixisse Authorem *Placida disceptationis, non est, neq; fuit vnquam Ecclesia sine macula.* Et nihilominus verum esse, quod *Tota pulchra sit & sine macula &c.* siue per synecdochen ratione bonorum; siue quia præcipua pars est sancta, siue quia caput sanctum, qui est Christus, siue propter Sacramenta & sanctas leges; siue propter admirabilem Ordinem ex varietate statuum, ordinum, graduum, ministrorum; siue denique quia talis futura est in cœlo post resurrectionem, vt etiam exponunt S. Hieronym. *in c. 31. Hierem. circa fin.* S. August. *lib. de perfect. iust.* *S. Bernard. in Serm. De festo omn. Sanct.* & plures alij. Verum in re præsenti de militante Ecclesia accepit dictus auctor, quo pacto & plerique Doctores intelligunt, cum Concil. Tolet. VI. Chrysost. *in 5. Ephes. Hieronym. ib. Theophil. in comment. imo & August. loco prius cit. de*

doctr.

doctr. Christ. quos sequuntur. Quin verò S. Hieronym. in c. 1. ad Galat. volens explicare quomodo cohæreant verba Apostoli, qui nunc totas Ecclesias videatur laudare, nunc totas vituperare, docet Ecclesiam dupliciter accipi, & cum laudatur respiciendum ad eam partem quæ perfectos continet, vt sic *carere macula* dicatur; cum reprehenditur, ad eam, quæ continet imperfectos, quæ non possunt intelligi, nisi de Ecclesia militante.

Optaret opinor Fr. Romanus, si se de Ecclesia triumphante locutum, commode affirmare posset, ne erubescere cogeretur, sed res non permittit, tenetur suis ipse verbis, eoque turpiùs, quòd dicat, *iam non solum Ordinibus, sed etiam Ecclesiæ tribuitur, quod multi in Ecclesia fecerunt*; saltem dixisset *pauci*, vt parum pro nihilo reputaretur, eoque Ecclesiam immunem asseruisset, si præsertim Iesuitas quod fusci & atrati essent, numero excepisset. Verum enim existimabat se campum Theologiæ disputandi nactum; vicisse, si quocunque modo contra Iesuitam feruenter debacchando, doctus videretur. Et fecit, quod pueri, qui arundinem longam equum putant, & instar equitum gestiunt; vel qui apud Stephan. Boëtium *lib. 2. Fab. cap.* 20. vix femoralia eaque lacera indutus, & cetera nudus, armatum se militem iactabat, sed paulo post visis vix hostibus præ pauore in cruorem fœtidum solutus est.

Pag. 256. Et 257.

AFfingit Opponenti obiectionem ab alio factam, vt inde probrosè in Ordinem Iesuitarum ludat, scurrili, vt videtur, scommate, quod non faciant Votum Virginitatis. *Statum*, inquit, *Virginitatis ne profitentur quidem, esto sint aliqui Virgines, id tamen Societati per accidens est, quippe qua non Virginitatem, sed castitatem à suis exigit.*

Ita Fr. Romanus. Equidem hactenus iuxta formam Ecclesiæ. *c. Cum ad Monasterium. De stat. Mon.* Religiosorum vota substantialia didici esse *Paupertatem, Castitatem, Obedientiam.* Si Fr. Romani aliud est votum castitatis, quam Patrum Iesuitarum, ipse viderit, cuius sectæ sit. Virgo dubio procul singularis, & cui per accidens non competat, vt Iesuitis, *Virginitas*; num Monialis? nũ Eunuchus ab vtero matris? num Spado? *Hæc*, inquit; (loquens de moniali) *Pontifici interroganti, Promittis te Virginitatem perpetuo seruare, respondet, Promitto, quod Opponentes discere poterant*, (puta Iesuitæ) *ex Pontificali Romano, quid intersit inter suam professionem & consecrationem Virginis.* Et rursum, post nonnulla de Virginali excellentia. *Quid horum*, ait, *obsecro in professione Patrum Societatis fieri, vel promitti mortalium vllus audiuit?*

Nimirum Fr. Romanus, Iesuitas vellet esse moniales, qui alibi Iesuitissas abolitas ganisus est. Ecquis obsecro, in quouis alio virorum ordine, audiuit Virginitatem voueri? Solus fortasse Fr. Romanus Hay, missa Castitate, quæ Iesuitarum est, Virginitatem vouit; Virgo, vt aiebam, verè singularis, nunquid etiam vouit cum monialibus, & inter moniales? quid ni & velum suscepit?

Magnus vtiq; discretor, an etiam discretus qui de quibus Ecclesia nõ iudicat, curiosè discernit? In Societate per accidens aliquos Virgines esse. An vero in alijs etiam inspectoris fungitur officio? Legeram aliquando: *c. Cum ad Monasteriũ De stat. Mon.* Custodiam castitatis annexam esse regulæ Monachali. Emendandus

textus

textus ex sensu Fr. Romani, nec nisi Virgines substituendi in Monasterijs per accidens casti, differentiæ causa à Iesuitis. Nec obstat, quòd pauci sint futuri *c. Quia Sanctitas tua. in fin. Dist.* 50. Ad Collegium quippe sufficiunt duo aut tres *L. Neratius, ff. De Verb signific.* Et *c. 1. De Elect. Abb. ib. n. 5.* Imo si omnes mortui sint; seruatur in vno. *Abb. n. 6.* Cum ad Collegium Iesuitarum multo plures requirantur, proinde abundent castis oportet, qui per accidens Virgines sint.

Ita oportet ludos facere, nugaces argutiunculas Fr. Romani planè in hac re delirantes, qui alia ratione vix discet sapere. Pudeat verò Theologum nescire Castitatem latiùs patere, & Virginitatem instar speciei complecti; sine qua nec Virginitas pretium habet, & longe præstantius esse vouere Castitatem, quam simplicem ex integritate corporis Virginitatem; cui vel si annexum sit propositum abstinendi à delectabilibus sensus, adhuc inferior est castitati è voto susceptæ, sicut & statui Monasterij. Vt rectè dicat August lib. de Virgin. c. 16. relatus etiam à S. Tho. 22. q. 153. a. 5. *Nemo quantum puto ausus fuit Virginitatem præferre Monasterio.* Sed hæc satis pro insulsa garrulitate ex parte saltem compescenda.

Pag. 259. §. Sed rursum.

SEd rursum obijciunt, inquit, *Societatem Iesu quæ mixtam vitam profitetur, longe præstantiorem esse statu merè contemplatiuo, qualis est in Monasterijs &c. nec iniustitiam esse, si fundatio in pium vsum destinata* &c. *ad meliorem conuertatur.*

Ita Fr. Romanus. Sed primum vbi obijciatur, non notat. Verisimile est more suo fingere, vnde linguâ effluat. Sexcenta sunt huiusmodi in hoc tenebricoso Astro. Et inter alia, quod Opponens dicat, alterum Theologorum, de quo est sermo *pag. 294. Iust. Defen.* suæ Societatis esse. At tantum abest, id eo loco dicere Opponentem, vt ne meminerit quidem Societatis, nedum quod Theologus alter sit suæ Societatis. Porrò si pro re nata quæratur à Iesuitis. Vtrum Societas Iesu, vel quiuis alius Ordo vitæ mixtæ perfectior sit monachatu, non dubito illos responsuros iuxta *c. Licet Extra. De Regular.* Et *cum S. Thoma 22. q. 188. a. 6.* quæ si legerit Fr. Romanus, habebit causam erubescendi & tacendi.

Quod ad posterius. Vtrum nimirum iniustitia sit, &c. iam satis supra dictum est. Hic tantum additur, non adduci ad rem, sed assui, vt cōmissuram pannosi Theologi; Quæ enim consequentia? *Iesuitæ dicunt vitam mixtam præstantiorem esse cōtemplatiua; ergo dicunt, non esse iniustitiam, destinata in pium vsum, conuertere in meliorem.* Veluti si quispiam arguat. *Fr. Romanus Hay dicit se Monachum Ochsenhusianum; ergo dicit, non esse iniustitiam, potum cereuisiæ, conuertere in potum vini.*

Pag. 276. & 277.

CVm multa dixisset de literis subreptitijs & falsis informationibus, tandem concludit, *Et tamen super hanc arenam translationes de facto fieri, fundarique videmus.*

Ita Fr. Romanus, nihili ducens inertiæ & incuriæ Sedem Apostolicam accusare. Adhuc autem immemor sui, hoc turpiùs offendit, quòd passim exprobret Opponenti, iniquitatis ab eo postulari, iustissimam, & diu deliberatam Sedis Apo-

stolicæ

ſtolicæ ſententiam: hic tamen eam circa translationes *ſuper arenam fundari* impudenter occlamet, quaſi nulla adhibita circumſpectione, nec veritate examinata, imo potiùs ſuppreſſa, Sedes Apoſtolica in re tam graui decernere ſolita ſit.

Quæ iniuria eò grauior eſt, quòd ex dictis Baronij torqueatur aculeus; Loquitur verò is de quodam Epiſcopo Germano, pretio ſibi honorem parante, & literas Apoſtolicas ſupprimente. Tom. 12. ad an. 1106. num. 40. Sed quid hoc ad translationes ob meliorem vſum faciendas? Nimirum Fr. Romanus, dum dicat, perinde eſt, quicquid præter iudicium dicat.

Pag. 344. Col. 2.

APprobat Opponens cuiusdam dictum. Etiam inter Monachos reperiri poſſe viros ſpiritu Apoſtolico præditos, qui in ſalutem animarum impigrè incumbant, magnumq; in Eccleſia fructum afferant: Ait tamen cum eorum inſtitutum ad hoc non tendat, & ob id plerunq; eorum Monaſteria extra vrbes poſita ſint, prout *Gloſ. notauit in c. Luminoſo* 18. *quæſt.* 2. non ſatis proſpectum fore Eccleſijs, niſi adſint alij, qui ex inſtituto ſuo, & propria vocatione ab ipſa Sede Apoſtolica ad hoc deputati ſunt, & horum operam magis vtilem & neceſſariam eſſe in vaſtiſſimis Germaniæ prouincijs: cùm minime ſit conſultum à propria vocatione & inſtituto quoslibet impediri. Intelligit hoc de Monachis, qui ex inſtituto Eccleſiaſticas functiones obeunt, & diu noctuque in Choro precibus inſiſtunt.

Hæc fere Opponens. Quam doctrinam Fr. Romanus ait, *eſſe falſam, & erroneam, imo hæreſim ſapere, eo quod doceat gratiam Vocationis perſonalis à Deo communicatam inſufficientem eſſe ad reformandas locorum particularium Eccleſias, & non dari vllum Religioſum Ordinem, cuius inſtitutum ex propria Vocatione ſit, fidem Catholicam augere vel propagare, præter Societatem.*

Ita Fr. Romanus. An vero minus fideliter referat, an minus dialecticè & Theologicè inde arguat, lector iudicet. Si hæreſim ſapit dicere, Monachos aliquos Apoſtolico ſpiritu prædictos eſſe ad procurandam ſalutem animarum, vereor nè vera & Catholica doctrina ſit, nullum reperiri inter Monachos eo ſpiritu præditum: & nihilominus eorum inſtitutum ſit, tendere ad conuerſionem animarum; vt ſic duæ propoſitiones contrariæ ſint de fide in Theologia Fr. Romani. Ecquis hanc infantiam eruditis auribus ferat?

Sed dicet non hanc eſſe doctrinam falſam & hæreſim præferentem, verùm hanc alteram, *Gratiam Vocationis perſonalis à Deo cæteris communicatam inſufficientem eſſe* &c. Et rurſum, *non dari vllum Religioſum Ordinem, cuius propria Vocatio ſit, fidem Catholicam propagare præter Societatem.* At per Deum immortalem, vbi id vnquam aſſeruit Opponens? vbi meminit Societatis? vbi gratiæ vocationis perſonalis? vbi excluſit à vocatione dicta nedum ceteros Ordines mendicantes, quorum illuſtris eſt opera in Eccleſia, ſed ne Monachos quidem vniuerſim, inter quos reperiri viros ſpiritu Apoſtolico præditos ad hoc ipſum, non negat. Vbi gentium ſumus Fr. Romane? non pudet te tam aperta inſcitia, an mendacio, grauare doctrinam veram nóta hæreſeos?

Quæ porro Dialectica, an Theologia? Monachi non ſufficiunt ad conuerſionem animarum in vaſtiſſimis Germaniæ prouincijs; ergo gratia vocationis perſonalis à Deo cęteris communicata inſufficiens eſt ad reformandas particulares loco-

locorum Ecclesias? Equidem in gratiam Fr. Romani libentiùs mihi persuadeam, ipsum non intelligere, quid sit gratia personalis vocationis, quam vt in loco arguam de tam indocta consequentia, quamuis & hæc passim abundet; quòd ipsum puerile sophisma sat manifestè prodit, dum de reformandis particularium locorum Ecclesijs, (quod vel de Monasterijs commodè intelligi potest,) perinde infert, ac de conuersione animarum & propagatione fidei Catholicæ indefinite. Cum enim Opponens non loquatur de particularibus locorum Ecclesijs, puerile est de his inferre in consequentia, tametsi alioqui antecedens non sit ad propositum. Sed hæc satis, ne ad Athe...um redigatur.

Pag. 345. Col. 1.

EX quarto voto Patrum Iesuitarum, quo se obstringunt ad obediendum Summo Pontifici in missionibus; ita arguit Fr. Romanus. *Ex hoc ipso voto colligi sæpe dictam Societatis vocationem, non nihil remotam esse, nec adeo immediatè cum hæresum extirpatione coniunctam, vt nonnulli forte suspicantur.* Rationem reddit: *Quia nemo in Societate vouet se Gentiles, vel hæreticos conuersurum* &c. Sed *Summo Pontifici, quoad hæc vbilibet terrarum facienda vel intermittenda obtemperaturum. Per quod tamen ipsum votum, non ab omnibus, sed ab aliquibus ipsorum præstitum, neq; Summus Pontifex, neq; locorum Episcopi, neq; Christiani Principes obligantur, vt in conuersione infidelium vel hæreticorum opera Societatis vti debeant. Nemo enim voto alterius obligatur* &c.

Ita Fr. Romanus, digna sane suo genio Theologia; ex qua vt aliquid addiscamus, operæ pretium est, hoc modo in formam redigere. *Iesuitæ obstringunt se quarto voto ad obediendum Summo Pontifici in missionibus; ergo habent vocationem non nihil remotam ad hæreses extirpandas.* Conseq. Probatur: *Quia nemo Iesuitarum vouet, se gentiles vel hæreticos conuersurum* &c. *Sed Summo Pontifici obtemperaturũ* &c. qui non obligatur hoc voto, vt eorum opera vtatur: ergo &c. Simile plane est si quis ita ad hominem argumentetur. *Fr. Romanus vouit obedientiam secundum regulam S. Benedicti; ergo non habet vocationem adeo immediatam ad Religionem.* Consequẽtia probatur, *Quia promisit S. Benedicto se obediturum Deo, sed nec Deus obligatur hoc voto ad acceptandam obedientiam, nec S. Benedictus ad offerendam hanc promissionem.* ergo &c. Item, *Fr. Romanus (exempli gratia) promisit stabilitatem in Monasterio Ochsenhusiano; ergo non habet vocationem manendi in hoc Monasterio.* Quia saltem Sum. Pontifex potest illũ extrahere, & alibi vti eius opera, vel non vti, ergo &c.

Sed enim adeo subtilis est Theologia Fr. Romani, vt non discernat vocationem ad conuertendos hæreticos, vel infideles, non ex eo pendere vel constitui, quod Summus Pontifex Iesuitarum opera vti debeat. Alioqui ab aliquot seculis vix aliquis sit Monachus, tametsi alias idoneus, qui hanc vocationem habuerit. Verum id demum in instituto Iesuitarum probandum, quod quarto voto se obstrinxerint, obedituros se Summo Pontifici, quocunq; mittere vellet ad dandam operam in vinea Domini, eaq; de causa vt expeditiores essent, ex vi regularum suarum, pluribus impedimentis alioqui studium retardaturis se exemisse. Ad hoc autem parum refert, non omnes esse eo quarto voto obstrictos, dum omnes, pro talento quisq; suo parati sint, si iubeantur. Ita nec omnes sunt Cellerarij in Monasterio Ochsenhusiano, promptissimi tamen ad hanc spartam suscipiendam, cùm res ferat. Nec dubium

Sum-

Summos Pontifices, ceterosq; Principes Christianos, quemadmodum hactenus factitarunt, libenter Iesuitarum operam adhibituros, quos sciunt ex instituto ad id factos, maiorique animi promptitudine, & spe apud Deum præmij, omnem conatum exerturos; nisi fortasse Fr. Romanus ex sua Theologia neget, maioris esse meriti ad hoc genus voto se obstringere.

Et Memini aliquando Paulum V. Pont. Max. destinasse quendam ex Ordine Monachorum, nec indoctum, nec parum idoneum ad Albanorum gentem erudiendam: quod cùm is subodoratus fuisset, prouidè apud Card. Protectorem egit, quò subterfugeret, caussatus se choro & claustro addictum, non prædicationi: & supercilie Iesuitas, qui ad id genus ex instituto teneantur. Addidit submissè (& hic erat punctus rei) sperare se post defunctum, aut perfunctum Abbatem, electum iri, nec id muneris facile permutaturum quouis titulo ex Albanis reportando. Adfui etiam, vbi Monachi facere quippiam ab eodem Pontifice iussi, quod duriusculum videbatur; multis tandem deliberationibus, an tergiuersationibus responderunt, suum institutum diuersum esse à Iesuitarum secta, qui ex voto instar mancipiorum pareant Pontifici, cum rerum suarum dispendio. Se non esse è Biantis schola, qui omnia sua secum ferre didicerint. Fortasse obstabant piæ fundationes.

Profectò si ij, qui Summo Pontifici ex genere instituti peculiariter obediunt, remotam habent vocationem, (vt iam latiùs de vocatione loquamur) ad conuersionem hæreticorum & infidelium, nescio an consequens sit, nisi ex Dialectica Fr. Romani, eos proximam habere ad id vocationem, quì & libenter subterfugiunt, & vbi videtur, apertè etiam detrectant, ne mittantur. Non hoc dico, quasi negem à præclarissimis Monachis Ecclesiam totam & rectam, & quam plurimas prouincias ad agnitionem veræ fidei adductas, sed vt Fr. Romani, plusquam oportet sapere volentis, impertinentes adstructiones retundam, quippe cuius principia qui attendat, in Theologia male fundata facile omnem Summo Pontifici obedientiam abneget, ne dum voto se ad eam astringat.

Tale est illud *pag.* 335. *num.* 74. *Abbates de Iure antiquo soli Deo rationem reddere debere tanquam immediatos cum conuentu Dominos omnium suorum bonorum.* Quæ olim doctrina fuit Iudæ Gaulonitæ Galilæi, & Sadoch Pharisæi, dicentium solum Deum pro principe habendum, & illi soli, nec vlli homini obtemperandum, apud Iosephum lib. 18. antiq. cap. 1. & 2. Et. lib. 2. de bello Iud. c. 7. Simile quippiam habuit Hæresis Fraticellorum. Ex quo, vt taceam Fr. Romanum haud rectè callere iura antiqua, facile etiam sequeretur, Abbatem cum Conuentu non teneri ad obediendum Summo Pontifici cum dispendio dominij sui, de quo soli Deo tenetur reddere rationem: atq; adeo Abbatem cũ conuentu non habere vocationem ad propagandam fidem. Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur ? quomodo mittentur si aut non debent, aut non possunt, aut nolunt, & ne cogi quidem possunt, qui de Iure antiquo soli Deo, non alijs potestatibus sublimioribus subditi sunt, quicquid de nouo Iure dicat S. Paulus ad Rom. 13. Iam si Abbas cum Conuentu non habet vocationem ad conuersionem hæreticorum & infidelium, & rursum de Iure antiquo nullius mittentis potestati subsit, vereor ne retractare nos oporteat, quæ paulo ante, & alibi diximus, non paucos ex Monachis ad id præstandum Apostolico Spiritu fuisse præditos.

Verum non hæc dicimus, quasi sanctissima omniq; laude dignissima Mo-

nachorum instituta eleuare velimus, sed vt indoctam Fr. Romani Theologiam, qua stolidè superbit, ludos faciamus, qui ad pauca respiciens quidlibet ex quolibet non cohærenter adstruit, & hinc in errores præcipitat. Quid enim necesse erat more quorundam malè feriatorum ad examen adducere vocationem Iesuitarum, qui ne suam quidé probe nouit? quid tam imperita Theologia sugillare Romanos Pontifices, institutum Iesuitarum approbantes, sugillare, inquam, eiusce modi verbis, *Societatis Vocationem non adeo coniunctam esse cum hæresum extirpatione, Vt nonnulli forte* (quia Summi Pontifices) *opinantur*; qui enim id magis opinentur, quàm qui eandem in hunc finem approbarunt?

Nunc quia ausus est os in cœlum ponere, audiat Fr. Romanus, quid Summi Pontifices sentiant, ac sanciant de Instituto Iesuitarum, & erubescat, si quis pudor inest, de indocta garrulitate. *Gregor. 13. in Bulla, Ascendente Domino*, ait, *Societatis præcipuum finem esse Catholicæ Religionis defensionem & propagationem*: Sed hoc non potest esse, nisi præcipuus item finis sit hæresum extirpatio &c. aut certè cum eodem fine coniuncta. Item. *Ad hunc finem Spiritum Sanctum Ignatij Loiolæ Societatis ipsius Institutoris eiusq; Sociorum excitatorem* pronunciat. Quid ad hæc Fr. Romane? obmutescis? Iulius III. *in Bulla, Iulius Episcopus. Institutum potissimum Societatis*, inter alia *ad fidei defensionem & propagationem esse* declarat. Idem pene ijsdem verbis censet Paulus V. *in Bulla, Paulus Episcopus*. Neque id solum in genere, sed quod mordet Fr. Romanus, in specie Gregorius 13. approbat *quartum solenne Votum, & speciale Summo Pontifici Obedientia circa missiones, ob certiorem*, inquit, *Spiritus Sancti in missionibus directionem*. Pudeat Fr. Romanum tantæ inconsiderantiæ.

At fortasse non sufficit puduisse, sed præterea cogitandum, quid commereatur, tam præfractè Summorum Pontificum oraculis obstrepens Theologaster. Mihi hoc loco satis erit ex Bulla Gregorij promere sententiam. *Qui hoc institutum, constitutionem, aut quemuis eorum aut supradictorum omnium articulum, Vel aliud quid supradicta concernens, quouis disputandi Vel etiam Veritatis indagandæ colore, directe Vel indirecte impugnare, Vel eis contradicere audet, pœnam excommunicationis latæ sententiæ, nec non inhabilitatis, ad quæuis officia, beneficia secularia, & quorumuis Ordinum regularium eo ipso absque alia declaratione incurrat. Quarum absolutionem nobis & successoribus nostris reseruamus.* Hæc Gregorius.

Viderit hinc Fr. Romanus, qua censura perculsus hæreat; viderint & reliqui boni Fratres Monasterij Ochsenhusiani, ne eum ad vllam promotionem tanquam penitus inhabilem admittant; arceant eum à choro, stallo & in stabulum redigant, longe à refectorio & portionibus priuilegiatis, quin nec coquum quidem in Monasterio Imperiali esse permittant. Restaur. de Imp. q. 110. §. 269. Vt qui nullo honesto colore quæsito, sed liuore duntaxat & contradicendi libidine & Iesuitarum institutum clarè apertéque & directe traduxerit, & Summos Pontifices, qui id approbarunt, obliquè sugillare. *Vt nonnulli* (inquiens) *forte opinantur*: non leui sanè suspicione, existimare illum, Summos Pontifices in eo approbando errasse; de quorum factis censet *super arenam fundari*. Id si constet, alia pœna, quam excommunicationis latæ sententiæ manet aliquando implicandum.

Pag. 365.

Pag. 365. Num. 21.

ABusitur Canone Damasi Papæ 25. *quæst.* 1. *Violatores.* Canon hic Violatores Sacrorum Canonum, dicit Spiritum Sanctum non incongruè videri blasphemare, quando non necessitate compulsi sed proteruè aliquid contradicunt. At Fr. Romanus, dum Fundationes antiquas æquiparat Sacris Canonibus, eos etiam qui mutant huiusmodi Fundationes, violare Sacros Canones affirmet necesse est, ac proinde blasphemare.

Quare viderint Summi Pontifices, qua nota discernantur ex sententia Fr. Romani, si quando similes Fundationum mutationes fieri iubent; præsertim cum is sentiat, *de facto fieri fundariq; super arenam.* Addit porro *eodem spiritu hac omnia defendi, quo condita sunt.* Sicut autem profitetur, se defendere antiquas fundationes à Spiritu Sancto inspiratas, ita dicere debet, se Spiritu Sancto dictante eas defendere; Proinde tot calumniæ, mendacia, imposturæ, falsificationes, iniuriæ, & sexcenta id genus; quibus eiusdem liber scatet, Spiritu Sancto dictante prolata censenda sunt, adeoque Sacra Canonica reputanda. Vide, oro, mi lector, qualis sit Theologia Fr. Romani Hay, & quæ ex ea monstra consequantur?

Pag. 375. ad Argum. 8.

IN ea responsione satis clarè intendit Fr. Romanus. Si Monasteria mutentur in Scholas, Gymnasia &c. *non esse translationem, sed euersionem, ex eo quod est contra praxim Ecclesiæ* &c. Ad hoc confirmandum abutitur authoritate Gregorij. *Monasteria destrui, si ex eis fiant habitacula Clericorum. Quid,* inquit, *dicturum existimas, si ex eis fierent Gymnasia, vel Academiæ?*

Ita Fr. Romanus, de quo nunc affirmare ausim, quod supra alicubi dubitans dixi; Eum Ioannis VVicleffi discipulum esse, qui Gymnasia, Academias, &c. *tantum prodesse* asserebat, *quantum Diabolum;* quasi huius inuentum esset. Porro vt cùm spatico mitius agam, tantum aio Gregorij dictum ad rem non facere. Siquidem is 18. *q.* 2. *Peruenit,* tantum inquit. *Nullo modo patiar, vt Sacra loca per Clericorum ambitum destruantur.* Loquitur autem de Clericis, *qui se fingunt religiose viuere, & Monasterijs præponi appetunt, & per eorum vitam Monasteria destruuntur.* Sic ibi.

Quid verò hoc ad rem? quæ ratio paritatis in vtroque casu? vbi præsertim ex bono fine melior vsus intenditur, nec tam agitur de propria translatione, quàm de applicatione Monasteriorum extinctorum, ad Seminaria, Collegia, Parochias &c. Neque enim est translatio ab actu, vel habitu possidentibus, sed inchoatio possessionis in ijs, quæ in nullius bonis sunt, & ad quæ recuperanda nemo, nisi Ecclesia actionem habet.

Pag. 378. Et 379.

HIs locis conatur Fr. Romanus refellere argumenta Opponentis, quibus hic impugnabat quendam acerbo & virulento calamo in potestatem Pontificiam

debacchantem. Non potuit id concoquere Fr. Romanus, ideò calamum in Opponentem strinxit, vt amici, cuius sententiæ fauebat, partes tueretur. Itaq; grauissimas iniurias, calumnias, contumeliasq; Summo Pontifici ab amico suo impositas, & quæ Opponentem ad refellendum permouerant, astutè dissimulat, ne amico fidem proderet, leuia quædam duntaxat, & pene nullius momenti, leui etiam manu, & sine sale, & succo attingit, ne penitus transiuisse videretur, aut ne fictè se agere in tempore manifestaret.

Quin porro suspectus esse possit, ob non defensam ex officio, vbi res poscebat, veritatem, nemo opinor negauerit; & dubio procul ob præstitum hæretico patrocinium quiuis facile de collusione arguet, & Bullæ cœnæ obnoxium iudicabit, vt quæri amplius haud debeat, quam aptum & gnauum se præbiturus sit Fr. Romanus, si ad propagandam fidem Catholicam euocetur, quando de Vicarij Christi authoritate, à quo præcipuè euocandus & mittendus foret, tam appositè sentit.

Pag. 385.

ARguit Fr. Romanus Opponentem, tanquam *à Via Veritatis aberrantem, & cui lumen intelligentiæ extinctum non luxerit.* Mox in eum intorquet Bullam cœnæ, quasi qui contra libertatem & immunitatem Ecclesiasticam decertarit, & *Rom. Imperatorem ad eiusdem Violationem incitarit, Vt ex effectu abunde constat.*

Ita Fr. Romanus. Theologus vere illuminatus, vtpote cui Astrum inextinctum à tergo luxit; & antè stellantibus ex oculis cerebrum intus rotatum ignes vibrauit. Hinc callide peruertit censuram, quam in suum caput torquendam præsagiebat. Sic obnoxij plerunque, ipsi alios sontes faciunt. Esse autem Fr. Romanum Bullæ cœnæ obnoxium, vel ex dictis superiori paragrapho liquet: nam de cetero toto hoc suo Astro aliud nil egit, quàm vt flammatis iuribus omnibus, & exusta Pontificia authoritate, semina schismatum eliceret. Non cogitat autem, eius pœnam petere, qui in eam non incidit. *L. Illi ff. De R. I.*

Facit porro, quod & canes extrema rabie ad interitum acti. Rotant enimuero se hinc inde, & obuia quæque mordent, nec Dominis parcentes suis. Scilicet hoc supremum deerat Fr. Romano, vt quem hactenus defendit, in Cæsarem virulentos dentes impingeret, qui *Vt ex effectu abundè* constat, inquit, Ecclesiasticam libertatem & immunitatem violauit. Quomodo, si vt supremus Iudex legitimè imploratus fuit? quanta Fr. Romani leuitas & inconstantia? Quid si, vt ego aio, Summi Pontificis authoritate quædam Monasteria ad meliores vsus applicauit? *Perijt, Ecclesiasticam libertatem Violauit: hôc minus peccans, quo ab Opponente incitatus.* Cur non à Summo Pontifice monitus & iussus? exprime, quid hæres Fr. Romane? Tenetur & ipse Summus Pontifex dubio procul ius dicere per. *Reg. Iur. Qui facit per alium*; sed modo sufficiat fulmen torquere in Opponentem Iesuitam.

Non te morabor amplius, mi lector: deprehendisti autem Fr. Romani, deprehensus & ipse est sua fraude, nec alius exit' manet, cuius mentem adulatio regit. Nunc quo te recreem, coronidis loco adiungam, fecisse Fr. Romanum toto suo Astro inextincto contra Opponentem, quod dæmon ille de quo *Marsil. Precottus lib. 2. Dæmoniac. c. 8.* contra suum exorcistam.

Obsederat Clericum adolescentem Dæmon; hic cùm adhibitis exorcismis vim